



9







SURGITE SURGITE MORTUI, VENITE AD IUDICIUM.

CUPRESSUS FUNEBRES,

Quas,
Ad Aedes,

VIRI EXCELLENTISSIMI CLARISSIMI DOCTISSIMIQ;
DN. IOHAN. GEORGI MAGNI PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS Eximij, ut et practici utriusq; Reipubl. experientissimij
Quum

URSULAM.

Faeminam omni laude Superiorem,
Filiam unice sibi dilectam,


VIRI HONORATISSI. PARITER AC INTEGERRIMI
DN. PHILIPPI MILKAVI, MERCATORIS HAMBURGEN-
lis Primary

Coniugem desideratissimam,
Praematturo sed beato obitu,
humanis exemptam,
pys prosequeretur lacrymis.

MUSIS AUXILIATRIBUS
Contestandae sumptibus erexerunt,

Fautores, ad fines, et amici
Berlini Typis Rungianis.

Anno 1628.



THRENOLOGIA.
Aphorismos Gnomicos Chalcoch-
ragmatis explicans.

S I quid, homo, humani sapis, heic consiste, brevèq;
Spectando pensa χαλκοχάραγμα moram.
Ansam deliquio (a) orta boni, ditio neq; regni
Mors (b) ferè cuneta sui subdere docta dedit.

(a) Gen. 2, v. 17.
Jac. 1, v. 15, Rom. 5,
v. 12, c. 6 v. 23.
(b) Psal, 89, v. 49.

Scilicet hac lacrymosa oneravit pectora magno
DOCTORIS MAGNI pondere mæstitiæ,
SOLIUS teneros dum è adhuc juvenile calentes
NATÆ intercîdit falce rapace dies.

Pæoniâ licet arte valens cispellere morbos
Certet vel Coo, Pergameove seni.

(c) Lecto fuit defi-
xa 14. dies: febrî
enim correpta 12.
Augusti; defuncta
25. ejusdem.

Hanc tamen evaluit febrili tormine lucis
BIS-septenæ (c) absens exonerare minus.

Hinc lacrymas oculis, suspiria pectore fundens,
Exequiale seni corpore syrma trahit.

Adspice, ut undantes minitentur lumina nimbos!
Ut rubeas pallor carpat ab ore rosas!

Ut gemit amissos fetus Philomela sub umbris:
Funera sic natæ tam properata dolet.

Et qualis sociâ viduatus compare turtur
Quam pastoritia surripuere manus,

Non viridante sedet ramo, non gramine leto,
Nec vitreo dulces flumine libat aquas;

Sed gemitu amissos tantum testatus amores
Luctifonis nemorum replet opaca modis:

Sic vidui caræ svavi oblectamine natæ
Nenia tristiloquo talis ab ore fluit.

URSU-

URSULA nostra fuit, fuimus nos, quando erat illa;
 Mortua nunc trahitur vita superstitibus.
 Hei mihi! quam celeri versat DEUS omnia lapsu!
 Quam rapido subitas alterat orbe vices!
 Hanc, modò quam validam vidère Hamburgica tecta,
 Et cui nec dubius tinxerat ora color,
 Febrilis rapuit brevis inclementia flammæ,
 Atq; dedit feretri triste gravamen humo.
 O festina dies! O rerum lubricus ordo!
 O nimium propero mors celerata gradu!
 Ab! Quæ sufficient tanto fomenta dolori?
 Quæ vè meis dabitur par medicina malis?
 Poma colonus acerba fugit decerpere: aristas
 Laedentes messor non metit ante diem.
 At tibi vitæ brevè ducta virentibus annis
 Nunc sunt, Flos hominum, fila resecta tuæ.
 Anni (d) tres seni, septenaq; Luna, Diesq;
 Hæc spacia ætatis tota fuere tuæ.
 O utinam tibi tot potuisssem sistere vitæ,
 Quot Sarai vixit, quotvè Sibylla, dies:
 Ut saltem humanis non tam cito rebus adempta
 Vita mihi, orphanulis (e) bis geminisq; fores!
 At nunc te orbatus tua tingere funera fletu
 Cogor, & in querulos neçtere verba elegos.
 Sic solum deflesse reor Nainitida natum,
 Qui ut flos extinctus solstitialis erat.
 Utq; Jebosepho potuit Jacobus adempto
 Dimidiâ tantum vivere parte sui:
 Sic tua mors, mucrone quasi violenter adaçto,
 Detruncat (f) nostro pectore particulam.
 Non corpus vivum, sed circumferre cadaver
 Mi videor, sensim languida membra trahens.
 Genua labant, macies exhaustiq; artubus humorem,
 Os sibus hæret vix sanguine cassa cutis.

A 2

Non

Fac cogites punctum
 esse, quod vivimus
 & adhuc puncto
 minus, scrib. Picus
 Mirandul. in Epist.
 ad Nepot.

(d) Vixit 18. annos,
 7. menses, & toti-
 dem dies. Nata e-
 nim Berolini anno
 Chr. 1610. 18. Ja-
 nuar. denata Ham-
 burgi, 25. Augusti,
 1628.

(e) Mater facta
 duorum filiorum
 & binarum filia-
 rum.

Luc. 7.

Gen. 37.

(f) PATERNI
 CORDIS POR-
 TIO DETRUN-
 CATUR.

*Non vidi lento sic torrem absumier igni,
Exedit ut tacitus viscera nostra dolor.*

Quid? quod & unanimi thalami tibi foedere jun-
(ctus

(g) ARCTISSIMA
CONJUGIALIS
CORDIUM
COMBINATIO
DISCINDITUR.

*Corda tuo sua (g) jam corde resecta gerit:
Contribuit socios fletus in tristia nostra,
Interrupta gemens conjuga pensa tori.
Adspicis, ut viridi de cespite gramina secta,
Flavescant nimio torrida sole diu:*

*Corda tui sic corde tuo rescissa mariti
Arescunt tanto tabida facta malo.*

(h) Orphanuli lacrymantes similes
liliis stillantibus &
rosulis rorantibus.

*Utq; vides (h) vitreas per lactea lilia guttas
Serpere cum tenui decidit imber aqua:*

Et rorem de puniceis stillare rosetis,

*Quum spirat nascens frigora blanda dies:
Talis bis-geminae est proles lacrymantis imago,
Semiloquos quae dat blasula lingua sonos:*

(i) MORS CER-
TA EST.

Sir. 17. v. 3. c. 37.

v. 28. Job. 14. v. 5.

Pfal. 139. v. 16.

Hebr. 9. v. 27.

(k) Gen. 3. v. 19.

Eccl. 3. v. 27. c. 12.

v. 7.

(l) Job. 14. v. 1. seq.

(m) Sir. 14. v. 18.

(n) Jacob. 1. v. 14.

VITA BREVIS.

(o) fragilis ut bulla.

2. Sam. 14. v. 14.

(p) Vana instar son-

nus tympani, Pfal.

90. v. 4.

At quid maestitia largus, nimiusq; querela

In fluidas totus diffluo lacrymulas?

Sacra probant, quod (i) terrigenis stet terminus aevi,

Et (k) repetant ortus cuncta creata suos.

Nec semel emensus (l) lethi maria, hucce remigrat;

Ut redit arboribus post sua damna viror.

Meta cuiq; mori (m) fixa est: peccata voraci

Deberi (n) letho nostraq; nosq; monent.

Bulla nitet (o) fragilis formata e smegmatis unda;

Momine sed subito diffluit in nihilum:

Mendaci haec fucata bono sic vita citatis

Lapsibus elabens diffluit in nihilum,

Utq; puer tenero (p) cava tympana pollice quassans,

Evanescentes imbibit aure sonos:

Sic hac vita sui decursus nulla relinquit

Stigmata, curarum hinc inde voluta manu.

Utq;

Utq; trochus (q) per plana citus sola verberare currit,
Pulsio quem saltans impulit arte flagri;
Sic vitæ brevis hora fugit metuentibus alis,
Nec pote tam properam cuiquam inhibere fugam.

Luxuriat (r) verni saturata aspergine roris
Herba; sed æstivo languida sole cadit:
Sic lactentis homo viget ævi vere, adolescit
Æstate; at senii vellere canus obit.

Quod si tam fragilis, tam vana, caduca fugaxq;
Vita hæc (s) **VITALIS LIMITIS ESTO MEMOR.**

Quid? quod (t) certa quidem finis mortalibus adstat;
Hora tamen finis ultima quemq; latet.

Ludit in humanis mors importuna diebus,
Ancipitem spondet quælibet hora fidem.

Non intellecto pisces falluntur ab hamo,
Aucupis incautas reteq; captat aves:

Stinguitur imprudens defectum lumen olivo,
Nec tremula obrepens prævidet uva gelu:

Sic improvisis mors casibus (u) obruit omneis:
Non solet hæc juveni parcere, neq; seni.

Nec liquet, adventans (v) quidnam vehat Hesperus, ulli,
Ocyus hic letho, ferius ille cadit.

En modò qui suprema imis æquare suetus,
Et (x) sceptro, & titulis claret, & alta sapit;

Cras jacet, & capulo capitur, ferale cadaver,
Quod digiti terrâ quinq; levare queant.

Ergò quia ambiguis pernix mors imminet ulnis,
Quæso, preci, ut Gallus cantibus (y) advigila,

Issaida repetendo preces, Pater optime, fave,
Da (z) vita cautum me numerare dies:

Et quoniam (a) in varios rerum districta tumultus
Nos habet, atq; malis, anxia vita scatet.

Desine bellorum: juvat incubuisse labori
Et precis & manuum, pace virente, domi.

(q) fugax ut trochus flagello impulsus. 1. Paral. 30. v. 15. Job. 9. v. 29.

(r) caduca ut gramen. Psal. 90. v. 6. Jesa. 40. v. 6.

(s) Vive memor lethi. Sir. 7. v. 40. c. 14. v. 12.

(t) **HORA MORTIS INCERTA.** Eccles. 9. v. 12.

Comparatur pisci,
volucris,
lumini,
uva.

(u) Job. 3. v. 19. Psalm. 49. v. 3. 11. Eccl. 2. v. 16. Jesa. 5. v. 14.

(v) Sir. 18. v. 26.
(x) **HODIE REX, CRAS NEX.** Sir. 10. v. 12.

(y) **ITA Q; VIGILATE, LABORATE, ORATE.**

(z) Psalm. 39. v. 5. 90. v. 12, 13.

(a) **VITA LABOR ET DOLOR.**

(b) Job, 1. v. 21.
Plal. 90. v. 3.

(c) ROSA MEA
QUADRI FLORA
MORTE DEFAL-
CATA IN MANU
DEI FRAGRANS
VIVIT.

(d) LEX MOSIS
ACCUSAT. Deut.
27. v. 26. Rom. 4. v. 15

(e) SANGVIS
CHRISTI PEC-
CATA EXPIAT.

1. Joh. 1. v. 7.
(f) Matt. 25. v. 31.
Luc. 21. v. 27.

(g) SURGITE
MORTUI, ET VE-
NITE AD JUDI-
CIUM. Ies. 26. v.
19. Ezech. 37. v. 12.
Rom. 14. v. 10.

2. Cor. 5. v. 10.
(h) Dan. 12. v. 2, 3.
Matth. 13. v. 43.

(i) Matth. 11. v. 29.
c. 16. v. 24.

(k) Symbolum D.
Johannis Georgii
Magni.

(l) βίος ἀνθρώπι-
νος ἐφ' ἡμέρας
γλυκύπικρος.

(m) ἕρπυλιος δὲ
ἢ ἀείζωος.

Pfal. 16. v. ult. & 36.
v. 16. (n) Phil. 1. v. 23.
Col. 3. v. 2.

(o) PER ANGSTA
AD ANGSTA.

Actor. 14. v. 22.

*Hæc ego dum recolo, quid miror, stamina vitæ,
Filia, tam parvo momine ducta tua?*

*Qui tibi prima dedit Jhovah vitæ ordia; jusfit
Emigrare (b) animam corpore & ipse tuam.*

*Defalcata quidem es vitâ hæc (c) ROSA QUADRI-FLORA;
Sed tamen in Summa vivis odora manu.*

*Lex (d) scelera accusat; scelera (e) at de sanguine cun-
Dei hominis fuso gutta vel una adimit. (c) a*

*Cernis, ut orbet hyems glaciales gramine campos;
Leta tamen redeant gramina vere novo:*

*Ut sol occiduo cum laverit æquore currus,
Splendidioriens luce revisat humum:*

*Sic cum justitiæ, (f) stipatus cœlitate turmâ,
Arbiter Ulympi vertice deveniet*

*Atq; soporatis (g) acclamans, surgito, dicet,
Turba hominum atq; meo sistere iudicio:*

*Tunc quoq; prodibis (h) de terra pulvere, solis
Splendidulam faciem pulchritie exuperans.*

*Interim ego (i) miti mea porto gravamina dorso,
Atq; meam Christi jungo cruci ipse crucem.*

*Non terrena peto, NON EST (f) MORTALE, QVOD OPTO;
Vix durat vita hæc (l) dulcis-amara diem;*

*Semper viva (m) placet vita: hæc fons gaudia vultu
In nos derivans ebria melle DEI.*

*Induviis aveo (n) corpusculi exsolvier hujus,
Christo individuus jungier atq; comes, (bit,*

*Ementum arcta, arctorum olim meminisse (o) juva-
Cum fuero augusto traditus ipse polo.*

facta à

*M. Daniele Fesfelio, Eccle-
siaste Berolinensi.*

DEO

DEO ET MNEMOSYNÆ SACRUM.

URSULA DNN. JOHANN-GEORGIORUM PATRIS ET
AVI Virorum ut nomine, sic arte, MAGNORUM, HUIUS,
quem Tubinga Magistrali laurea ornavit, Augustag, Vindelico-
rum primum duodeviginti circiter annos, deinde Colmaria Imper. Al-
satia civitas, postremo Laupha ad Nicrum in Ducatū Wirttemberg.
verbi divini praconem habuit religiosiss: disertissimumq; & uauca-
et NEPTIS: ILLIUS, quem patria nobilior Augusta, Philosophiaq;
& Medicina Doctoris titulus apud Berlinates superstitem clarat, ex
 URSULA DN. BARTHOLDI OSTERODI, civis juxta ac Negotia
 toris Servestani quondam primarii relicta nata, Coniuge secundā su-
 cepta FILIA, majorum suorum genere condigna, primā lucis usura
 fruitur BERLINI. (a) Post datum Christianæ militiæ in sacro Eccle-
 sia fonte nomen à Parentibus fideliter nutrita, piè educata, virginis
 studiis rectè culta tandem pubertatis emensa terminum familie sua
 decus, probitatis exemplar, morum speculum supra legitimam sexus
 sui etatem evasit laudatissimum, in idiota incumbens, ut DEO san-
 ctimoniā, parentibus obsequiō, unicuiq; humanitate sese probaret de-
 bitā. Hinc annō atatis quartō & decimō nondum exactō, ob eximias
 quā animi, quā corporis dotes à DN. PHILIPPO MILKÆ AVIO,
 Negotiatore spectatissimō; impensè adamatā DEI providentiā & pa-
 rentum Consiliō secundis Nuptiis Uxor domum ducitur: (b) Cum
 quā vitæ & fortunarum sedem primis quatuor annis ponere BER-
 LINI cœpit, verūm urbis conditionem altius excutiens alium Nego-
 tiationibus commodiorem, antequam in Borussia & Transylva-
 niam abiit, meditatus est locum: quō nomine superioris anni mense
 Juniō fonticā de causā ex Borussia SOCERUM & CONJUGEM
 humanitate & amore plenis salutavit literis, ille filiam à se dimittere,
 hæc cum sobole HAMBURGUM secedere, ibidemq; fatis annuenti-
 bus, reducem præstolari maritum ne gravaretur rogitans. Durum id
 quidem Parentibus, Coniugi periculosum visum est: Sed omnibus
 posthabitis Parentes monitorum sacri Codicis memores, propinquo-
 rumq; consiliis subscribentes, à filiā deserere, quā voto mariti non sa-
 tisfacere, maluerunt. Viro igitur ut in omnibus, sic in hoc, morige-
 ra, duobus liberis SARA & PHILIPPO-ABRAHAMO comitibus,
 JOHANNEM-FRIDERICUM puerulum lactentem parentibus edu-
 candum

(a) ANNO
 cLo Ioc x. d.
 xviii. Jan.

(b) ANNO
 cLo Ioc xxiii.
 d. xvii. No-
 vembr.

(c) ANNO
clō Ibc xxvii.
d. xxi, Julii.

(d) ANNO
clō Ibc xxviii.
d. xii, Au-
gusti,

(e) d. xxv.

[f] d. xxviii.

candum tradens, non sine cordoliō suorum, ad dictam urbem commi-
gravit, (c) inibiq; felici ex Transsylvania, quò negotiatum excucur-
rerat, Conjugis reditū exhilaratur, cum interea quartā prole UR-
SULLA-CATHARINA familiam suam adauxisset. Et jam complu-
res uterq; in matrimonio annos exigere, alterq; in alterius sinum a-
nimi secreta exonerare, adeoq; senectutis nidum ponere opinabatur:
Verūm uti Mors inter optimos semper divortia machinatur, sic & de-
jugavit, quos arctissima animorum conglutinarant vincula. Ecce e-
nim (ō vanas hominum spes!) Conjux, contra quam nata est, di-
arrhœā correpta decubuit, (d) ingravescenteq; malō per *Πνεύματι*
ardenti & continuā febre superveniente, viribus exhausta, die ab
invasione tertio & decimo, præproperō sed placidō exodiō, inter suo-
rum lacrimas & suspiria, rebus humanis nuncium remittens, parte
sui meliore, quæ sola ab interitū abducitur, ex hac ærumnarum ler-
nâ ad cœlestia evolavit gaudia, cum in vita stadiō (ab quantillō!)
decurrisset ann. XVIII. menses VII. dies totidem. (e) Corporis exu-
vias, quas Terra lege nature sibi reddendas repositit, Maritus hunc
vitæ raptum agerrimè ferens, hanc dichotomiam gravissimè dolens,
in templō Cathedrali exequiis frequentissimis poni curavit. (f) Hæc
edoctus LECTOR, mortalitatis tuæ non-immemor URSULLAM
MAGNAM ad decretorium illum restitutionis omnium diem sal-
vere jube & valere, ex tumultō Te sic compellantem:

*MATRIS amor, dulcedo PATRIS, corclumq; MARITI
Viva FUI: nunc SUM nausea tetra meis.
Non tamen exprobres: inbiat Mors omnibus æquè.
Quod FUI ego, nūc ES: quod modò SUM, brevi ERIS.
Sed quod ERO, quando redi viva locabor in astris,
Fac mecum verâ speq; fideq; SIES.*

Johan. Robachius, Berlinens.
Scholæ Coloniens. CON-
RECTOR.

EPISTO.

EPISTOLÆ CONSOLA- TORIÆ.

CLARISSIME DOMINE DOCTOR, AF-
finis, & Compater, & honorate &
amantissime.

BX eo, quem ego, ex obitu filix tuæ,
fœminæ lectissimæ conceperam mœ-
rore (quantumvis me sanguinis ne-
cessitate non attineret) assequi facilè
poteram, in quo dolore, vos jacere-
tis. His itaq; , ut boni & integri amici officio, ali-
qua duntaxat ex parte, defungerer, periculum fa-
cere volui, an vos consolari erigereq;ve aliquate-
nus possem.

Tametsi enim ab initio videre multas, easq;
gravissimas, luctûs, squalorisq; tui adducere te
posse rationes: nullus tamen dubito, quin si peni-
tius rem introspexeris: fateri tandem cogare, rem a-
liter longè sese habere, ac tu principio arbitrare.

Eqvidem filiam unicam eam fuisse non infi-
ciar: sed quanti hoc faciendum? Quandoquidem
duos nepotes, duasq; neptes ex eadem habeas, ex
quibus, & materna facies, maternæq; virtutes re-
lucent. His te, loco ejus, quæ meliorem partem

B

jam

jam elegit, delecta. Hi cor animumq; tuum tristem, puerilibus suis jocos, colloqvutionibusq; recreabunt. Sunt tibi præterea tres filii, omnes bonæ indolis, & magnæ spei.

Ast in juventute prima ferè extincta est? Quod quidem verum esse fateor. Non tamen factum hoc fuit, nisi DEO Ter Opt. Maximoq; patre, ita dispensante & ordinante. Utpote in cujus libro totius vitæ nostræ dies inscripti, etiam prius sunt, quàm lucis hujus mundi usurâ frui inciperemus. Cur itaq; reniteremur voluntati, tam benignissimi patris? An non præsens hæc nostra vita, meritò æquiparatur navigationi per mare sævisimum & fluctibus turgidissimum, ob ventos item subinde confurgentes, increbrescentesq; admodum horrendissimum? Quis itaq; non votis omnibus exoptaret, ut non sub mediam noctem, vel vesperam etiam, sed sub ipsum meridiem, quin imò paulò post solis ortum, navigationis hujus supra modum periculosa cursum, absolvere, licitum sibi esset? Non itaq; refert, in flore ætatis, vitam cum morte, beatè commutasse.

Verùm enim verò, in locis procul disitis, supremum clausit diem: Sed & hoc momenti nullius est. Nam si terra omnis, & plenitudo ejus Domini,

mini, DEI, & patris nostri est, vita defuncta non fuit, in loco aliquo, qui ad Dominum, Deum, & patrem suum non spectaret.

Quanti itaq; hoc doloris telum faciendum erit? Annon mori nobis lucrum? mors nobis vita est? Annon beata mors via est, quæ nos ad portum æternæ tranquillitatis, & gaudii, deducit. Nisi itaq; nostris felicitatem hujus portûs invidemus, non est, quod molestius feramus, hos in Domino, placidè obdormivisse. Annon videt Dominus Compater, quàm grandia, & horribilia pericula, & amittendæ religionis & libertatis, cervicibus nostris impendeant? Quis itaq; lugeret, suos sibi ereptos, ne coràm tantam malorum Iliadem intueri cogerentur? Quot credis, in locis haut procul, à finibus nostris disitis, veluti ad nos allatum, scriptumq; fuit: nunc agere maritos, parentesq; omnium ordinum, quorum uxores, filiaq;, vi, à petulantissimo, milite, stupratæ fuerunt: quibus lætissimum fuisset nuncium, si audivissent, ante inter vivos esse desisse, conjuges, natasq; suas, quàm turpissima hæc paterentur. Bono itaq; animo esto, imò hilari, quem nihil tale de suis audire, tantoq; magis experiri oportuit. Vivit filia tua, vivit, sed ad te non revertetur in hac vita: tu au-

tem, ubi vitæ tuæ dies jam præterierunt, tuq; animam tuam, DEO tuo, qui eam dederat, placidissimè reddideris, ad eam congregabere, ac per omnia sæculorum sæcula cum ipsa, ceu suavissima filia tua conjunctissimè vives.


Me certè judice ferendus neutiqvam ille esset parens: qui sciret, liberos suos conversari cum potentissimo principe, apudq; eum in summa esse gratia: & tamen mœrore se interim, propterea, quod secum non essent, macerare non cessaret. Vides itaq; quàm indecens sit, te ob absentiam filiaæ tuæ tristem, & calamitosum te esse, putare velle? Cùm ipsa cum Rege Regum, & Domino Dominantium incessanter vivat, & Christi Salvatoris nostri unici sanguine dealbata, ex gratia, amore, & benevolentia Regis hujus Regum, excidere posthac nunqvam possit.

Hæc ad te in præsentia, quandoqvædem ipsemet ad te accedere non possum, (talis nunc est corporis mei constitutio) scribere visum fuit. Tuum erit hoc dextrè interpretari. Veneror autem, DEUM Ter Optimum Maximum sanctè, ut tibi, conjugiq; Spiritum consolationis, in corda vestra mittat, quò vincere & hunc quoq; luctum vestrum haud vulgarem: ego verò illum, quem mihi, dum
hæc

hæc exarare inciperem, scopum, proposueram,
collineare queamus. Vale etiam atq; etiam in Do-
mino. Coloniae cis Sævum, quinto Septembris.

Te honorans amansq;

Fridericus Pruckman, D.



CLARISSIME ATQVE EXCELLEN-
tissime Domine Doctor, Affinis, & amice
plurimum suspiciende, quia presentium ex-
hibitor iter suum Vitebergam, atq; inde ad vos se
suscepturum indicavit, non potui non facere, quin
literis hinc meis Dominum Affinem compella-
rem, impulsus tristissimâ illâ famâ, demum ho-
diè ad meas, & filia meæ, Johannis Grabovii p. m.
derelictæ viduæ, aures, proh dolor, delatâ, filiam
nimirum dilectissimam, Dn. Milcovii conjugem,
nuper adeò vitam hanc cum morte, ut placidè, ita
& beatè commutasse: Et quia id jam tum elapso
25. Augusti factum intelligo, nullus omninò du-
bito, quin dudum hoc Dn. Affini fuerit significa-
tum. Condoleo & ipsi & dilectissimæ ejus conjugi
ex animo, quemadmodum & mea dilecta filia ob-
nuncium hoc tristissimum planè obstupuit, si qui-
dem

B 3

dem

dem animum induxerat, cum natâ veſtrâ piè de-
natâ ſingularem hic amicitiam propediem contra-
here. Quanto mœrore vos parentes ex funere hoc
acerbo ſitis affecti, facilè poſſumus conjecturare.
Religio autem mihi ſit aliter de Dn. Affine ejuſq;
conjugè dilectiſſima ſentire, quàm quod provi-
dentiaè Altiffimi hæc omnia ſint aſſignaturi, ejuſq;
beneplacito (cum piis omnia in bonum cooperen-
tur) ſeſe patienti animo ſubmiſſuri. Ecquvis enim
deploratis hiſce & conclamatis temporibus, me-
moriâ præteritorum, ſenſu præſentium, & metu
futurorum malorum, non in votis & precibus ha-
reret, unâ cum omnibus ſuis ibi habitare, ubi nul-
lum tormentum, ubi certa ſecuritas, ubi ſecura
tranquillitas, ubi tranquilla jucunditas, ubi felix
æternitas, & æterna felicitas. Precor vobis mœſtiſ-
ſimis parentibus conſolationem à DEO Ter Opt.
Max., qui vobis præſentiſſimam ſuam largiatur
gratiam, ut poſſitis huncce luctum æquo animo
perferre, lugere, atq; tandem eluctari. Dabantur
Luneburgi, 10. Septemb. Anno 1628.

Clariff. Dn. Aff.

Obſerv.

Leonhardus Elver, D. Con-
ſul Luneburgenſis.

NOBI-

NOBILIS ATQVE DOCTISSIME VIR, DOMI-
ne & Compater plurimum colende.

DO: Vestrae nuperas cum legissem; in lacrymas dif-
fusus Jure Toti domui suae condolere & debui, &
volui. Revera ex sympathia Christiana; & quod inter
nos est Jus amicitiae obfirmatae, ita morte Filiae Do: Ve-
strae affectus sum; Ac si sors prolem meam tetigisset; Sub-
mittat oro, animum dispositioni divinae, cujus ordinatio
semper recta, semper utilis est; quamvis nobis in tragica
tempestate mundi adhucnum spirantibus contrarium vi-
deatur. Non sentit amplius tristitia charissima Do: Vestrae
filia olim; quae (absit) ne deteriora praeteritis nos experi-
ri oporteat; Gaudet jam & exultat anima ejus, quae in ma-
nu Servatoris nostri Jesu Christi requiescit, Gaudeamus
& nos eodem tractum iri gratiam DEI; ubi rursus convenie-
mus in gaudiis aeternis, qui jam separamur per tristes ca-
lamitates; Disticha nonnulla confeci, Si illa una Typis
dare, aut pro lubitu disponere velit; ejus arbitrio totum
committo: Do: Hiltebrant, Item D. Albinus Medici hu-
jus urbis, & Do: Vestrae studiosissimi sua addidit metri-
ca vota. Addidit Cl. D. D. Treterus sua quoque; cum multa
salute. Hisce valeat vivatque; diu & foeliciter Do: Vestra
cum tota Domo sua. Quam DEI omnipotentis protectio-
ni unice commendo; Dabam $\frac{18}{28}$. Septemb. Anno 1628.

Do: Vestrae

*Studiosissimus paratissimusque Com-
pater & Servitor*

Petrus Rosenk.

NOBI-

NOBILIS AC CONSULTISSIME VIR,
Domine Amice & Compater pluri-
mum colende.

AMICORUM NOSTRATIUM THRENODIAS TI-
bi mitto. Mibi verò cum non adeo fluida vena poetica sit, aliis
potius hunc honorem deferre, & modulari; Teq; amicissime vir,
tenui hac prosa, in gravissimo Catarrhi affectu, affari lubido
fuit. Nil aqvè magis fidos amicos, quam mutuus amor in bono rerum suc-
cessu, nil iterum quam rerum sinistra vicissitudo afficere debet: Unde mu-
tua gaudia in prosperis, in adversis gemini mœrores contingunt. Ita Tuum,
meum duco mœrorem ex unica, obedientissima filia, delitiis vestris, in
gravi senecta allatum, quâ tamen justum, quâ temperatum. Memine-
ris olim celeberrimi Ducis Pagani & quovis Christiano milite dignum
responsum ad Nuntium Mortis Unici Filii datum; Mortalem inq;iebat,
genuisse me sciveram. Quod verò tuum foret, qui una cum dile-
ctissima filia CHRISTO Duci, nomina vestra dedere, cujus mortali
corpusculo, immortalis anima Imago DEI, induta ex squalida & tur-
pi hac mundana militia, ad supernas Phalanges, inter cœlestes Tria-
rios, à summo Cœlitum Duce, & Antesignano nostro, promotus est,
ubi contra omnes Mundi insultus, & hostium machinationes firmissimi
aggeres, & propugnacula tutissima, Nec nisi cum Angelorum Myria-
dibus, æterna hæc Epicinia canuntur, Sanctus, Sanctus, Sanctus est
Dominus Zebaoth, &c. Macti igitur animis Christiani Parentes
DEO rerum omnium Moderatori judicia sua lingvite, qui filiam ad
tempus vobis solummodo concesserat, & vicissim præfixo à se Tempore
ceu depositum, à depositariis suis repositit, Cujus non nisi usumfructum,
Cœlestis Paterfamilias concesserat. Filia quam non egregiam versuram
egerit, videris, dum pro Auro rutilantis gloria serobem nobis & feces mun-
di relinquit: Tenebras, quæ nos & lucem Evangelii pro dolor! manere
videntur, in Lucem perpetuam commutavit: quam utiq; rerum permuta-
tionem, pios parentes, non dicam lacrymis prosequi, quin potius gratis
animis

animis, tam æquum dispensatorem rerum humanarum, amplecti oportet: Hanc subinde piam & salutarem vocem, unius septem fratrum apud Macchabæos, in summis cruciatibus, mortiq; propinqui, Tyranno obtrudentis, in memoriam revocantes; Optabile est, humana spe relicta, fretos divina, expectare divinitus ad vitam esse revocandos. In hac enim ad mutuos vicissim, haudq; unquam separabiles amplexus revertimini. Tibi deniq; Clarissime Compater honorande, cui Magni nomen obtigit, hanc Plutarchi Historiam de Alexandro Magno ascribo. In hoc tam Illustri Principe, inquit, an Fortuna altissima, an verò prudentia major admittenda fuerit, dubitatum est: Illa enim presente, cum omnia vinceret; Hæc quicquid humanitus contigit, patienti animo ferebat. Hanc talem tibi, & quia Christianus longè superiorem opto, cumq; Archetypo nostro Jobo in hac erupturum voces unà nobiscum, non dubito. Hæc sit mihi consolatio, ut affligens me dolore non parcas. Ita enim affligit, ut vicissim sanare possis, & modum afflictionis observat, in salutis nostræ nostrorumq; commodum. His te amicissime Compater opt. valere jubeo cum mæstissima Dna. Conjuge, & sibi addictis. Dabam Stettini, 19. Septembris, Anno 1628.

T. D.

Compater & Servus
Officiosissimus,

Cujus amicam manum
nosti.

C

σωτηριαν

σωτηρίαν καὶ εὐθυμίαν

CLARISSIME ATQVE EXCEL-

lentissime Vir, Dn. Amice atq; Affinis

plurimum honorande.

Luc. 7.

EC quibus ego nunc verbis candidissimam
tuam canitiem, hac atra seqvioris fortunæ
nube obscuratam totq; nunc madentem la-

crymis affabor? Nihil invenio efficacius, nisi il-

lud CHRISTI ad viduam Naimiticam: *Μὴ κλαῖς.*

Hoc unum si animo tuo firmiter, uti par est, im-

presferis, haud dubiè hebescent dolorum stimu-

li, quibus cor tuum configitur & lancinatur.

Tunc, Vir amicissime, cælo & beatis agminibus

invideres accessionem, quæ eis facta est ex nova

hujusce Animæ Filix tuæ societate? An carior

illa tibi, quam DEO, qui eam his malorum tur-

bamentis atq; cruciamentis ereptam sibi asse-

ravit? Et tota hæc vita nostra, quam nunc vivimus,

an non pœna potius quam vita est? præsertim ubi

pejora & magis truculenta nunc urgent, instant,

inhorrescunt, nobis paullò post perpetienda.

Dan. 5.

Deut. 30.

Sed vincunt super omnia cœlestis verbi oracu-
la, qvalia sunt: In DEO est vita tua, & totum
iter tuum penes ipsum est: in DEI manu est ani-
ma tua, &c. Ego, inquit J E H O V A, sum vita tua
& longitudo dierum tuorum. Quod genus in-
numera cum affatim tibi suppeditet, Vir Cla-
rissime, Codex divinus, nullo opus esse arbi-
tror malagmate extraneo. Ibi sat pharmacorum
recondita sunt à cœlesti Medico & Patrefamiliâs,
qui

qui pro libitu non nostro, sed suo familiam,
quam in terris habet, ordinat ac disponit, variat
& commutat: ut quantumvis altum vulnus ani-
mi quodlibet iis per sanari queat. Inde igitur hau-
riamus, nobis quod ex usu sit, frontemq; com-
masculemus: ut ad eandem semitam paullo post
calcandam semper accincti stemus. Quamquam
verò ea sunt tempora, quibus non in Parnasso
somnia licet, sed in angariis & pistrino sudare
oportet, attamen hujus Academiae Professores
& amici aliquot unà mecum *Θρηνολογία*s nostris
dolorem tuum demulcere, & *συμπάθειαν* testari
brevis conabimur. Nunc ob festinandum ta-
bellionem plura addere non licet. Abstergat
Dominus lacrymas dolentissimi pectoris, & ossa
reficiat ac recreet, Spiritum gemitibus fessū, &
suspiriis anhelū refocillet, impleatq; spe & confi-
deratione sortis melioris, quæ in aeternū reposita
est filiis obsequiosis, & in ejus providâ volūtate
acquiescentibus: inter quos, Te Affinem exopta-
tissimum, Dominum atq; amicum enixè colen-
dum, uti militare & nomen profiteri scio, ita
divini favoris fructum abunde percipere semper
gestio atq; exopto. Dabam raptim Francofurti,
13. Septembris, Anno 1628.

Tuæ Eximiæ Claritatis
Studiofissimus

*Gregor. Francus, Theol. D. & in
Academia Viadrinâ Pro-
fessor publ.*

C 2

Sal.

Sal. Plur.

Postquam mihi, Clarissime & Excellentissime Vir, Af-
finis & amice plurimum colende, de obitu filiae tuae,
foeminae meherclè, pientissimæ & formosissimæ, nun-
ciatum est, quo onere tristitiæ animum tuum presum esse,
facile conjicere potui, qui & eandem fortunam antea
quoq; expertus sum, &, quid σοφῆ paterna evincat, sensu
quodam tacito augurari potui. Παραμυθῶ quodam opus
fore leniendo tuo dolori ratus, συμπαθείας καὶ Φιλίας ἐνεκα,
quicquid in temporis angustiâ Musa mea meditari potuit,
Elegos quosdam ad te perferendos esse æquum duxi.
Hos habere, eoque a quo profecti sunt animo, nempe tui
Observantissimo & amicissimo, amplectere; nec dubito,
te hominem Christianum non modò, sed & philosophum
eò consolationis stimulo ferri posse, quò dolori & angori
modus concilietur. Vale, & plurimum salve. Raptim
ex μελετήηριώ meo in Fortalio Cüstrinensi, die 16. Se-
ptembris, Anno 1628.

T. E.

Studiosissimus

Fridericus Möllerus Senior, Phi-
losophiæ & Medicinæ Doctor
in Fortalio Cüstrinensi, Medi-
cus Electoralis Branden-
burgicus.

SALU-

SALUTEM ET OFFICIA.

Valde me exercuit tristis ille nuntius, de Filia
tua Carissimæ URSULÆ obitu immaturo, Vir
Clarissime Excellentissimeq; Domine ac affi-
nis multum honorande. Statim quoq; affectum
meum in chartam conieci, & qui meus est mos, E-
picedio prosequutus sum defunctam. Illud verò,
quia tabellarij festinatio summa describendi copiã
nullam fecerit, cras tamen si redierit Sedino, Dn.
Essenbruchero tradam, interim luctui moderabe-
ris, animo versans & probè examinans tempora hæc
tristissima, quæ beatos clamant omnes, quibus ma-
turiùs licuit ex Tragico hoc discedere Theatro. Va-
le Vir Clarissime & Excellentissime, & Tetrastichon
hoc in gustum sequuturi cape premetij.

†
*Sen Charitum quarta illa fuit, sive altera Cypris,
URSULA, Castalij filia Magniada,
Mortem obijt; Vobis, turba agra, cavete puellæ:
Mors etiam egregias involat atra deas.*

Vale iterum etiam atq; etiam, & summæ festina-
tioni ignosce. Primisl. 13. Septembr: 1628.

T. E.

T.

*Justus Grifus D. Procerum Ukerø Marchia &
Civitatis Primislaviensis Medicus.*

C 3

AD

AD CLARISSIMUM ET EXCELLEN-
tissimum Virum, Dn. Doctorem JOHANNEM
GEORGIUM MAGNUM, Medicum felicissimum,
amicum & fautorem honorandum.

CLarissime & Excellentissime Vir, amice honorande,
in magno luctu & mœrore Excellentiam Vestram
nunc esse nullum est dubium. Gnata enim, quæ in-
gens Dei donum fuit, eheu! ut herba marcescens rebus hu-
manis exempta est. Quia verò æquitas & Christiana chari-
tas jubet, ut proximi nostri calamitatem nostram pute-
mus, ad amici officium pertinere, sinceram *συμπαραστάσιν*
significationem & coram & per literas declarare, & ex ver-
bo Dei consolationem adhibere, existimavi. Verbum
Dei docet, nos non casu nasci, nec exstingvi casu, ac ne
quidem passeris sine nutu & voluntate Dei vitam amitte-
re. Cùm igitur Dominus fecerit nos, & non ipsi nos, &
certo consilio vitæ spatia & metas constituerit, minimè de-
cet nos, (ac ne quidem possumus) Dei sapientiæ & vo-
luntati vel tantillum præscribere, aut eidem repugna-
re. Hoc B. Jobus apprimè intellexit, ideoq; dixit:
Breves sunt hominis dies, & numerus mensium ejus apud
te, ipse constituit terminos, quos præterire non potest.
Itaq; Gnata cùm sit evocata eo tempore, quo Domino
placuit, qui donum tam egregium Excel. V. saltem ad ali-
quot annorum usuram, non in possessionem perpetuam
mūdanam traditam, repetivit, non immeritò acquiescen-
dum, & dicendum:

*Si bona sollicitè suscepimus omnia vitæ,
Soli ex Domini cunctipotentē manu;*

Cur

*Cur mala quæ fidei sunt documenta probanda,
Pectore non placido sustinet ægra caro?
Qui dedit, hic Dominus simul abstulit, en benedictum
Sit nomen Domini tempus in omne mei!*

Deniq; quia non prorsus extincta, sed evocata, non amissa, sed præmissa est, & ad sanctarum matronarum societatem migravit, ubi si in Christum credimus, & fidem verbis & promissis ejus habemus, DEUM sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, & sine fatigatione laudabimus, dolor inimmensum non est prorogandus. Merito igitur luctus Vir Clarissime fines certos ponit, ac terminos, ne Excell. Vestra gnatae beatitudinem invidere videatur. Impendent insuper fatales mutationes Ecclesiae & imperiorum, quarum semina jam videmus, quibus præripit Deus fidos & pios homines. Has moderandi luctus causas, ut Excell. V. consideret, & animum ad patientiam flectat, animum rogo. Excell. V. valeat in Domino, qui moestissimam viduam lætissimo illo Pharmaco, NOLI FIERE, confortavit. Berol. pridie decollationis Johannis, Anno 1628.

Excell. Vestrae

Studiofissimus

M. Andreas Mauritius,
Præpositus & Pastor.

Salu.

Salutem & Consolationem ab Eo, qui
solus omnis Consolationis fons est
perennis,

Benedictus sit Dominus, pater ille miserationum, & DEUS omnis
consolationis, qui me in prematuro filiorum meorum natu majorum
obitu jam ante consolatus est, ut & ipse consolari queam Eos, quos
idem casus affligit tristissimus. Proëmio hoc Apostolico Excellentiss. mul-
taq; experientia Clariss. Dn. Doctor, fautor atq; amice admodum hono-
rante, ordiri jam placuit Epistolam hanc meam consolatoriam, quam
prematurus, pro dolor atq; inopinatus filia tua unica, eod; nomine di-
lectissima quasi indixit obitus. Simul ac enim luctuosissimum huc affere-
batur nuncium, lectissimam hanc atq; honestissimam fœminam in fata
concessisse, tantum mihi incutiebat dolorem, atq; excitabat συμπάθειαν,
ut vulnus cordis ex prematuro filiorum meorum obitu superiori anno con-
tractum, quod verò cicatricem quandam obduxisse jam videbatur, recru-
descere cœperit: Ex quo conjecturare proclive admodum mihi fuit, quan-
tum quamq; acerbum luctum luctus hic ingens in animo commoverit pa-
terno, ut planè mihi persuaserim, Excellentiss. Dn. Doctorem eodem opus
habiturum malagmate, quo mororem meum, ex eodem luctu jam ante
conceptum, plurimum allevatum comperi. Revocata enim ad animum
humanarum rerum sorte incerta atq; mobili, recolligere me paulatim cœpi,
quod tempus fuisse cogitarem, quo hosce filios nondum habuerim, & quo
babebam, Ea habuisse lege, ut homines natos scirem, ideod; quovis mo-
mento iterum amittendos, quod juxta illud Sophocleum ἢ τέκνων ὄψις
sit ἐφ' ἡμετέρας. Quin subducto ætatis meæ jam senescentis calculo, in spem
erigebam non dubiam, tempus breve adfuturum, quo quos habui, habitu-
rus sim denuò, atq; ita habiturus, ut eosdem æternùm sim habiturus: idq;
non quacunq; conditione, sed spe futura resurrectionis, vitæq; melioris cer-
tissima. Hac meditatione crebra dolorem humanitus subinde recurren-
tem intra cancellos cœrcebam, atq; ita mentem à vitæ hujus vanitate ad
spem futura gloriæ indubitata revocabam, hoc maximè tempore, quo
civilia passim.

Bella

Bella tonant, trepidumq; quatit discordia mundum,
Ut beati potius quam lugendi videantur, quibus per DEI gratiam, tra-
gædiæ hujus funestæ spectatores ne sint, vel etiam actores, beatus ex hac
vita contigit transitus. Quo ipso malagmate si Clariss. Dominus Doct̃or,
sua quoq; orbitatis alligabit vulnera, procul dubio luctus sui, quan-
tumvis justissimi allevamentum, & consolationis efficacissime sentiet
περνοτισμὸν: præsertim cum ex sacris constet literis, non tam luctum
præcipi, quam solatium in Eorum obitu, qui nobis fuerunt charissimi. Si
igitur Clariss. Dominus Doct̃or præcepto hætenus de luctu satis superq;
paruit, quidni de solatio quoq; admittendo in posterum erit obsequentis-
simus. Si enim Ethnici solatium admiserunt, qui tamen spe salutis, & re-
surrectionis beatæ destituebantur, sola mortalitatis communis memoria,
vitæq; antea integræ suffulti, certè Christianos maxime decebit in
luctu esse moderatos, utpote non ignaros, quod per mortem ad immor-
talitatem fiat transitus, nec possit vita aeterna succedere, nisi hinc conti-
gerit exire: non igitur exitum esse piorum mortem sed transitum Cypria-
no monente, quo decurso temporali itinere, ad aeterna fiat transitus. Fa-
teor sanè non esse hominis hujusmodi dolorem tam magnum tamq; acer-
bum facile evomere, est tamen hominis Christiani, idemq; vitæ jam se-
nescentis atq; officij exigat ratio, ut Clariss. Dominus Doct̃or alium jam
ad tempus sese præbeat, & licet pater sit, ita se gerat, quasi non sit, & sic
lugeat, quasi non lugeat. Quod si fecerit Dominus Doct̃or, mæror hic do-
mesticus tandem allevascet, quin & familie tuæ, totiq; evitati supersti-
stem temet servabis, quod ut fiat unice exopto. Vive igitur valeq; Clariss.
Dn. Doct̃or, meumq; hoc levius consolandæ studiū æqui boniq; consule.

Excel. T.

Studiofiss.

M. Hieronymus Brunneman, Ecclesiæ
ad D. Pet. Colonæ ad Spream Pastor.

D

SALU-

SALUTEM ET PACEM PER CHRISTUM.

EXcellentissime atq; Clarissime Dn. Doctor, Amice & Fautor animitus dilecte. Quam acerbus sit mihi luctus tuus, sub quo ob obitum Filiae desideratissimæ *URSULÆ* versaris, novit is, qui omnia novit. Quid verò aliud remedij abhibere poteris, quàm ut animam, lacrymis & dolore obrutam in firmâ possideas patientiâ. Materiam enim habes exercendæ patientiæ. Interea autem persona tu es publica, de cujus prosperitate tota gaudet Ecclesia & Respublica. Unde talem te geras, ne quid inde vel Ecclesiæ vel Reipublicæ decedat. Geras potius te talem factò, qualis vis esse fide: Alias Fides nostra fucata imò opinio. Præmissimus enim non amissimus, quos per mortem emissimus. Condolentiæ autem & animi ingenui testificandi gratia scripsi, quamvis *Minervâ* tenui, carmen annexum, quod æqui boniq; consulas peto. Interim Te *DEO* nostro commendo, & ut caro aliàs quoad hunc casum, satis infirma, regatur, & Tu in paterna *DEI* voluntate facilius acquiescas, ego vel maximè oro. Vale Bernoæ. d. 18. Sept. Anno 1628.

T. C. add.

M. Martinus Strömann, Præpositus Bernoviensis.

DE

S. P.

DE CRUCE TUA dolui; sancta tamen illa, & quæ non absq; fructu suo. Quandoquidem ille, qui flagellis plenus, proximus fertur esse DEO: nec aliter ludit nobiscum Sapiencia illa cœlestis. Quod huic placet, cur displiceat? quod ab hac est, cur angorem pariat nimium & dolorem? quidquid est, à Patre est, à Misericordi est, à Domino est: suscipiamus tanquam liberi volentes, agnoscamus velut crucem merentes: nec murmuremus servi, si audire volumus obedientes. Firma ergò animum, & ad dura omnia obfirma. Plura adderem, nisi constaret, ex sacris tibi fontibus manare aquam consolationis; & Clarissimos & Præstantissimos viros literis consolantissimis meum antevortisse officium: quod tametsi serius, verus commendabit in te affectus. Vale mi Dn. Doctor, sine querelis & angore: vive DEO, Reipublicæ, amicis, tibiq; ipsi: Ut vivas, ut valeas, ne amplius doleas: sed animo pariter & corpore lætus salveas in eo, qui dixit: MOEROR VESTER, VERTETUR IN GAUDIUM. Berolini scrib. præcipiti festinatione.

Tuæ Amplitud. studiosiss.

*M. Joachimus Niseus, Archidiaconus
Berlinensis, ægerrimâ manu.*

D 2

Salu-

Salutem amicissimam, cum officiorum
oblatione.

UT hodie audiui, Clarissime, & Excellentissime, Domine Affinis, Fav-
tor & Patrone colendissime, ex literis viri Clarissimi & Consultissi-
mi, Domini Bartholomaei Osterrodij, mei soceri, admodum vene-
randi, de Tristitia TUA, & luctu, Filiae TUAE unicae, cordicitus dilectae,
p. m. admiratio simul, & dolor me invaserunt. Heu quid homines sumus!
quam fragilis materia, ut levi casu rumpenda! Revera exempla illa, cum
e Proxima incurrunt, & nos feriunt, merito animum ad condolentiam
ducant, & quam totum hoc vivere lubricum sit, breve, nihil: Idcirco ea,
quae circumstant, haud gravatim adspice: fateberis, non potuisse opportu-
nius mori: Aevum pessimum, & vix in spe correctionis. Itaque ne mortua
quidem, sed terra his relicta, & terra reddita: Ipsa immortalis in sano de
religione, & DEO sensu caelum migravit, ad immortalem illum patrem:
Obsecro igitur TE, in hoc tristi casu, oculos mentis nunc eo stecte, & ro-
bur a Coelesti Favore sume. Fateor cum incommodo Familiae ereptum vobis
hoc fulcrum: Quid tamen est? nonne supremus ille Pater, & ReCTOR et-
iam vivit, & curam, tutelamque suorum gerit? facit, & faciet: magis si
in illum spem, & cogitationes Tuas mittes. Vicissim igitur rogo, ut
Dominus Affinis atque Conjux amicissima, tanquam parentes pia defunctae
Filiae animum erigatis, & solatium non a ratione solum, sed a Liberis
etiam Defunctae, p. m. capiatis: quos DEUS dedit: Formate & dirigi-
te in ejus gloriam, & vestrum & familiae gaudium, atque honorem. Ita
sit, & idem DEUS illos vobis, vos illis longum servet. Επιχρηδιον uni-
cum, debiti luctus gratiam, ut sub calamo ex tempore natum, transmitto,
& a magno DEO, Tibi, Tuisque valetudinem firmam, mihi benevolen-
tiam Tuam deosco. Dabantur ex fortalio Custrinensi, 10. Septembris,
Anno 1628.

T. E.

Officiosus

Christoph. Damerovv, Pro-
toNotarius ibidem.

CLA-

*CLARISSIME EXCELLENTISSIMEQUE VIR,
Fautor & Affinis omni observantiâ colende.*

QVanto cordolio ob immaturâ, (talis enim nostris oculis filia ætatis flori, corporis vigori, fortunæq; secundiori intentis jure videtur) morte ereptam filiam afficiâre, etsi nec satis intelligere ipse queam, nec, quamvis intelligerem, exprimere possem; certus tamen sum, cum nullus major sit amoris gradus amore parentum, nullum etiam dolorem eum vincere, qui ereptis liberis fatali lege parentum corda invadit, cruciat. Interim etiam, Excellentissime Vir, nullus dubito, quin T. E. pro eâ quâ non solum est prudentia (ex cujus solius rivulis Ethnici suas hausere consolationes) sed & pietate, affectum hunc, & ex affectu, ob charissimam amissam Filiam, exortum dolorem, ita moderaturus sit, ut ex ipsâ hac, quam DEUS inflixit plaga, summam ejus gratiam agnoscat, adeoq; ejus sanctissimæ voluntati suam submittat: idq; eo magis, si tristissimam rerum omnium faciem impendentiaque omnibus orbis partibus mala attendat, quibus quasi subducere illos, tanquam longè sibi charissimos, Pater cœlestis videtur, quos per mortem ad se à nobis maturè avocet, quod quidem sacrarum literarum testimonio nobis constat, & sanioribus etiam Ethnicis haud quaquam ignotum fuit. Hinc Menander: Ὅν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκεις νέος. Ex hoc fonte nostræ in hac lacrymarum valle miseriæ, felicitatisq; eorum, quos DEUS ex illa beato per mortem ad vitam æternam transitu liberat, derivatum est, quod offero epos, invitis quidem Musis & minimè favente Apolline consarcinatum; & quod vix tale erit, ut locum invenire queat, inter doctiorum quibus vena felicior epicedia,

memoriae beatissimae Tuæ Natæ URSULÆ, LAURÛS in
paradysum Domini translatae, consecrata: Ut tamen T. E.
id, quale quale tandem est, testimonium observantiae
meae in T. E. esse patiatur obnixè rogo. Herus Magnificus
Sigismundus à Götzen in Rosenthal & Pinnau, Serenis-
simo Electori à Consiliis Secretissimis, Capitaneus in
Gramzou, Heraq; Nobilissima, plurimum, ut inaudière,
& ceu propria, familiae hac T. E. calamitate affecti sunt,
συμπάθειαν etiam suam vicariâ hac meâ manu testantur,
salutemq; T. E. conjugiq; mœstissimae adscribunt pluri-
mam: monent etiam ne T. E. nimium dolori luctuiq; in-
dulgeat, Optantes simul ut DEUS Optimus Maximus, cu-
jus sanctissimo arbitrio hæc vulnera animis vestris sunt
inflicta, præpotenti solamine eosdem erigat, curet, fa-
net. Quod ut faxit Jehova ex animo comprecor, & T. E.
conjugem charissimam, familiamq; totam ejus tutelæ ut
potentissimæ, ita certissimæ commendo. Dabam Gram-
zovii, 9. Cal. Octob. Anni 1628.

T. E.

Observantissimus

Daniel Ludwig/Medicinæ
Candidatus, & Mathema-
tum Studiosus.

Sal.

Sal. Observant. & Officia.
CLARISSIME ET EXCELLENTISSIME
Dn. Doctor, Mulageta æternùm
venerande.

OMnibus affectibus bona exempla prosequor, cum profint publicè; imprimis Vestrum V. CL. Excel. quò justa Parentalia p. m. Filie beu quondam Vestra suaviter dilectissime, immaturè nimium, quantum denata, jam inter Calites letissimè vivanti paternè adornas, & ab Amicis oblata Neniomnemata q. consarcinas! Liberos enim vivos amare, voluptas est; defunctos deplorare, Religio. Cui operi, & ego hoc meo Lessu officiosissimè adsilio; Licet verò maturius obitum Illius indolentèr compererim, blanda tamen fomenta recentèr savienti dolori superpingere non libuit, ne illum ipsum solatia prius irritarent, quàm vulnera in cicatricem quodammodo coalescerent. Quò enim atas Illius tenerior, vita innocentior, & mens erga DEUM, Dnm. Parentes, Martum, & Proximum fuit observantior; eò dolor suppullulat gravior. Quæ vix annum ætatis XIX. (ceusando accepi) cum Bono DEO attigerat, quaterq; Mater felicior extiterat, ut jam ore Nepotum (licet lamentabiliter) Venerabilis Dominus Avus inclamèris; En in primâ virtutum maternarum olivitate morbi, & pedissequa Mortis injuria subjacet!

In tantâ consternatione an animum despondebitis? Neutiquàm verò ò CHRISTIANA Parentium Corcula! Hoc ipsum non incutiat, sed excutiat lacrymas; nec sit dolori augendo, sed minuendo.

Summum Bonum fecit, & benè fecit; & dum annos Mortalitatæ invidit, Æternitatem contulit; dum terram negavit, Cælum donavit.

Et vide V. CL. & Excel. quàm partiariò jure DEUS, ut vite, mortisq; Arbitrator, TECUM egerit? non enim totum, cum absq; omni injuriâ potuisset, sibi rapuit, sed Liberos, ac Familie sarculos florentissimos superstites reliquit, ut Quatuor haberes in terris pignora, unum in cælis, utrobiq; Pater, utrobiq; Suave viridarium possideres.

Sed quid Affectibus Vestris indubito, & mærorem, quem per Te
Christia-

Christianè temperabis, verbis levatum eo? Nota mihi pietas & Virtus,
qua pectus Vestrum unanimi Bonorum voce incolit; & si Tu Te Patrem,
ideoq; lugendum TIBI cogitas, itidem à luctu subsistendum esse succla-
mabit:

Viget enim Vestra Filia cum Sanctis, ceu

{ Stella in cælo,
gemma in annulo,
flos in stipite,
& color rubeus in rosâ.

Cui latiore occursum ad sollemnia vite alterius comprecor animitus.
Accipe quæso V. CL. serenâ fronte lacrymarum mearum hocce indicium,
in sinum Vestrum infusum; Fave meis Conatibus, Vale, & salve cum
laudatissima Familiâ. Scribebam Coloniae cis Sævum, Die D. ArchAn-
gelo Michaëli Sacro, An: 1628.

Vestræ Excel.

Studiis & Officiis

Observanter

deditissimus

Gregorius Cernitius COL.
PHIL. Cand.



Postquam ultimum Naturæ officium
FIDE, SPE, CHARITATE
peregit

URSULA,

VIRI Clarissimi & Experientissimi, DN. JOH. GEORGII
MAGNI, Phil. & Medicinæ Doctoris *ΜΟΝΑΧΟΥ* FILIA.

Lugent Boni quique;

Parenti insuper justissimum luctum verbis solantibus partim,
partim sinceræ Sympathias significatione levatum eunt.

Testes utriusq; vide sis seqq. *Benignitas*, quibus mix-
tæ Epistolæ seriùs acceptæ.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam chara sobolis? pangito lugubres
Cantus, qui miseræ res hominum & patris
Tristem jure vicem doles.
Natamne ergo tuam, Magne, gravis sopor
Oppresfit, pietas, assiduum cui
Virtutis studium, cui pudor & fides,
Paucas invenient pares.

Cunctis illa suis flebilis occidit,
Nulli flebilior quàm tibi. Filiam
Sed tu rite pius sic tibi creditam
Poscenti haut renuis DEO.

Quod si mens medicam mæsta ferat manum
Affectus moderans cordibus insitos,
Non vanus redeat pectoribus vigor,
Cum natam DEUS unico

Qui verbo potis est fata recludere,
Sancto compulerit cœlicolùm choro.

Durum. At spe levius redditur ac fide,
Quicquid corrigere est nefas.

Thomas de Cnesebec, Hereditarius in Tilsen,
Seren: & Potentissimo Electori Brand. à Con-
siliis secr. & Veteris March. Capitaneus.

E

Aruit

A Ruit ut radiis ventosa Cucurbita JONÆ,
 Quam dedit una dies, perdidit una dies.
 Indignans multum, mortis sibi voverat um-
 Senferat ut medii solis adesse faces. (bras,
 Quid mirum est, si MAGNE animo cruciaris, ama-
 Atq; memor damni fletibus ora rigas? (ris
 Nam major jactura tua est, non flore penates
 Privantur, cucumis non tibi vilis obit.
 Filia præsentis vitæ (meminisse molestum est!)
 Nondum sperato funere clausit iter.
 URSULA, quæ fuerat senioris scipio patris,
 Frangitur, & terris redditur, unde fuit.
 Sed nimium lugere, levem quia suppetit usum,
 Hunc luctum mediis emoderare piis.
 Unde sit orta vide; mortali sanguine crevit,
 Cur mortale mori MAGNE proinde doles?
 Juxtà etiam pervolve animo, quæ meta piorum
 Sit, postquam fatis occubuere suis.
 Ergo mane, defuncta mane! levis ossa sepulta
 Terra tegat. Luctus sit levis opto PATRI!

*Johann. Röppen / Utriusq. Juris D. Comes
 Palatinus Cæs. Electoris Brand. Consi-
 liarius & Pro-Cancellarius, nec non
 Consistorii Ecclesiastici Præses.*

SALU-

*SALUTEM ET CONSOLATIONEM A DEO OMNIS
salutis, & consolationis fonte.*

BGO VERO MI EXCELLENTISSI-
me Domine Doctor MAGNE, affinis atq;
amice honorantissime, &c. ad tristem il-
lum de obitu filiaë tuæ unicæ, matronæ
omnibus numeris absolutissimæ, & con-
jugio exoptatissimo elocataë nuncium
ita indolui, ut inter concatenatas laborum, ac difficul-
tatum nostri proh! fati molestias, turbationes meas fe-
rale illud novum non mediocriter adauxerit.

Quàm calida & valida sit tibi ac conjugii tuæ dilectis-
simæ parentibus *Φιλοσπεργαταίσις* illa plaga, facile conjicio,
quem in eadem crucis, ac tentationis scholâ DEUS Opt.
Maximus, pro sapientissimâ & justissimâ sua *ευδοκία* non
semel exercuit, ut si quod fortean est à fornace hujus-
modi quidem tribulationis pro tempore refrigerium, il-
lud tamen ad præsentem ævi, & rerum nostrarum faciem
facile reconcalescat.

Verùm & sic beneplacitum est DOMINO, nos ita
probè exercitatos, ac tribulationum & crucis pistillo
subactos, quasi ad beatam *διάλυσιν* tantò magis præparare,
ne cum mundo immundo pereamus.

Sicuti enim animus æger semper errat, ita quos fe-
bris illa erratica ex oblectamentis terrestribus orta in
hisce mundanis defixos tenet, vix est, ut altiora, & cœle-
stia seriò meditari possint.

Ac si rem expendo paulò altiùs, haud scio an con-
dolendum magis, annon gratulandum potius sit piis, &
cordatis parentibus, qui calamitosâ, ac ferali hâc rerum

omnium tempestate dilectissima sua pignora ad æterna illa beatitudinis tempe ita præmiserunt, ut tantò minori cum solitudine ad omnipotentis illius Imperatoris jussu sequi possint.

Ethnicum illud latine sapientiæ & eloquentiæ oraculum Tullius, in consolatione super obitu Tullie suæ, quàm beatam mortem prædicat, quæ ad beatissimam vitam aditum aperit? quomodo mortem omnibus semper amandam, charissimis verò etiam optandam commendat? quantum perè lætatur, cum ad jucundum, & cœleste illud animorum convivium translata fuerit? Nos qui CHRISTO nomē dedimus, & qui scimus *πολίτευμα* nostrum esse in cœlis, quid faciamus, ubi Ethnicos etiam ex hoc commorandi diversorio, tanquam ex hospitio miseriarum, & calamitatum plenissimo tam constanti, tam læto, tam alacri animo ad futuram vitam, tanquam ad patriam omnibus bonis, ac gaudiis circumfluentem evolasse videmus? Evolemus, evolemus cum Monicâ illâ ad æterna beatæ immortalitatis tabernacula, ac quod fortis ægroti est, à manu Domini non solum accipiamus, verum etiam expetamus hanc medicinam! Cæterum quamvis vena mea poëtica inter hæc turbationes pœnè jam exaruerit, ne tamen affini, atque amico meo ex multis jam annis amicissimo, & honoratissimo *συμπαθεία καὶ συμβόλω* meo defuisse videri possim, in versus aliquot consolatorios turbationis quidem & festinantis Minervæ abortum ad te mitto, quos ut æqui bonique consulas peramicè rogo, teque cum conjugè dilectissimâ, & filio adhuc superstite unico divinæ protectioni ad exoptatissimam usque senectam sedulò commendo. Vale & salve à tui Studio sistimo.

Περσφώ

Πεσοφώνησις Consolatoria ejusdem.

ET sata jam nostris arenia cernimus agris,
Nec suus est hortus, qui fuit ante, nitor!
Et modò **MAGNE** tuo prægratus flosculus horto,
Flos generis, Flos, & grata corona viri
Florebat; sed floruit heu! defloruit eheu
Lethali humano falce resectus agro!
O fragiles hominum sortes? ô aspera fata
Tàm stabile humanis rebus inesse nihil!

Verùm ita fert **DOMINI** semper veneranda voluntas,
Nec quisquam invito statve, caditve **DEO**.
Nil fors, nil Mavors, nil Mors, nil Dæmon, & orcus
Hoc prohibente valent, hoc revocante nocent.
Quin necis, ac vitæ moderator, & arbiter idem
Auffert digna polo non temeranda solo.

Ergò hac fatali rerum impendente ruina,
Cui grave sit Domino sic moderante mori?
Cum pia mors non mors, sed veræ janua vitæ,
Et via sit pandens sola salutis iter.
Nam ceu vere novo terra è matrice renata
Floridulis redeunt omnia læta comis:
Sic tua **MAGNE** modò concredita semina terra
Æterno reddet **VERE JEHOVA** tibi;
Cum denata modò, a**st CHRISTO** revocante renata
Surget grata tibi, grataq; Nata **DEO**.
Siste igitur lacrimas, gemebundum siste dolorem!
Quæ nox atra tulit, reddet amœna dies.

Servestæ Anhaltinorum, d. 10.
Octobr. Anno 1628.

Joh. Sturmius, Cancell. Anhalt:

συμπαθείς facieb.

E 3

Dura

Dum tibi feminei suboles cadit unica sextis,
Et peregrè, & prægnaans, & propè-pulla cadit;
Flentq; immaturos supera & medioxuma maneis:

Addam *Ἰμβάλλον* ego num mea metra *μέεος?*

Metra, situ umbrosæ pridem sacrata Vacunæ,
Sed tamen in luctus officiosa tuos.

Addam equidem: solo sed te hoc solabor, eòpse
Quòd denata tibi tempore Nata fuit;

*Quo nasci pœna est; infamia vivere; morbo
Angier, auxilii spes; medicina mori.*

Magnus es, atq; audis magnus: tibi gentis avitæ
Nomen ab innumeris obtigit illud avis.

Esto, quod es: magnumq; tibi te ostende: nec ultrà
Invidas Natæ svavia fata tuæ.

Et faciens magna & patiens, est magnus uterq;:
Magna facis; fas te nunc quoq; magna pati est.

*Felix, qui precox moritur! cui Parca juvenco
Anticipat rapida puncta suprema necis!*

Hoc Amico, oculissimæ Filix præmaturum,
obitum affectu plusquam paterno & plus-
quam humanitus lugenti, inter squaloreis
miseriarum nutantis Patriæ præcoci cala-
mo mœstus properabam in Patmo nostra
monasterii Zinnavi

*Joach. Cesar, Archiepiscopalis Hallens.
& Illustrissimæ Marchionis Brandenburg.
Dorotheæ Ducis Brunsv. & Lunab.
Consiliarius.*

Immun-

Immundum mundum linquens præcurrit ad astra,
 Decreto Fati, Filia M A G N E tua.
 Te pietas, virtus pellunt amor atq; paternus,
 Percharum luges quod lachrymis sobolem.
 Sic decet ut doleas inter tot tristia; Credas
 Exemptam Gnatam, tristibus esse piam.
 Jam sobolem servari inter tot gaudia cœli,
 Quo te præcurrit, Tu quoq; tende peto;
 Divina cura cordis committito curas,
 Scis tenuisse modum, scis pietate frui.
 Accipe nunc versus, quos notus pandit Amicus,
 Qui dolet ex toto pectore Fata Tua.
 Vive diu, cunctis gratus, fœliciter annos,
 Ac M A G N U S maneat, in pietate Tua.

Petrus Rosenk.

EXCELLENTISSIME ET CLARISSIME DN. DO-
 ctor, affinis & Compater honoratissime.

Tentavi M U S A M meam, cum nudius tertius ex somno
 expergiscerer, horâ quintâ matutinâ, an versus fun-
 dendi penitus exaruerit ejus vena. Sed ecce, quem
 produxerit fœtum. Fateor, minimè politum, quia mar-
 cescentis ætate ingenii est. Tu boni consule, Malui enim
 impoliti aliquid quàm nihil aliorum amicorum lugubri-
 bus in tui solatium scriptis, addere. Svadebat & require-
 bat hoc affinitatis nostræ vinculum, & meus in te ac filiam
 beatæ memoriæ amor. SALVE, VALE, & Christiano ho-
 mine dignam P A T I E N T I A M testare. Ex ædibus Colo-
 niæ ad Spream VII. Id. Octobr. Anno 1628.

Musa

Musa quidem siluit mea quadraginta per an-
(nos,

Sed nunc dat querulos, victa dolore, sonos.
Occidit, heu! properè nimis, occidit unica MA-
Filia, fœminei lausq; decusq; chori, (GNI

O Fatum rigidum, ô inclementia mortis,
Qvàm male, qvàm præceps, qvàm truculenter

O infelices nimium, miseriq; PARENTES, (agis.
Qveis citò tam tener hic flosculus eripitur!

Ast ô tu felix nimium, dilectaq; CHRISTO
FILIA, qvæ citò tam cladibus eriperis

Innumeris, qvæ nos circumstant undiq; & angunt,
O mala, proh finem quando habitura suum!

Suppressite hinc luctum, potius gaudete PAREN-
Est erepta malis, sed cumulata bonis. (TES,

Cœlicolis immixta inter mera gaudia vivit,
Dum SACRÆ aspectu se satiat TRIADOS.

Tempus erit, læti præmissam quando seqvemur,
Plus mea nunc igitur desine MUSA queri.

*Tuus omni studio
ac fide*

Johannes Möller, Sereniss.
Electoris Brandenburg.
Medicus.

Magnum

M Agnum, MAGNE, tibi morte est, Vir MAGNE, duellum,
 Tu servare homines, perdere at illa cupit.
 Stant à parte tuà, medicæ pater artis, Hygæa,
 Cbeiron, Asclepi dives opisq; manus.
 Mors contrà Morborum acie & turbantis Averni,
 Horrendo hinc atq; hinc cinctâ satellitio est.
 Sauciat illa suo mortalia corpora ferro,
 Tu reprimis subitò, aut vulnera facta ligas.
 Sicq; manu medicâ Morborum atra agmina sternis,
 Ipsa etiam ut victas dent tibi saepe manus.
 Mox subitum virus redit in præcordia Morti,
 Victorem illa suum nititur opprimere.
 Nil agit. Obnixus tu contrà nobile pectus,
 Et medicas offers fortia ad arma manus;
 Hac ferit, haut tu illi cedis, sed comminus ictus
 Asclepi, excipiens, tegmine membra tegis.
 Quo magis irritata illa, omni robore torquet
 Spicula, & usq; in te vi violente ruit.
 Tu referis, perstas simul, altæ rupis ad instar,
 Nec fluctus quam nec flabra Boræa movent.
 In casum tandem labor omnis abitq; elangvet
 Mors, Plutoq; cohorsq; omnis Avernicolum.
 Mox & concilium quævis publica privaq; cordi,
 Res sua, resq; Stygis, Persephoneæ & spolium est,
 Dicitur. Adventat Furiarum quicquid Averni,
 Adstunt Clotho his Atropos & Lachesis:
 Tum questu exoritur Summanus, Persephoneq;
 Et Libitina dolet, cumq; Styge, ipse Charon.
 Ille hereticensum, sua, hæc Proserpina, jura
 Verti, insitq; rapi prædam Erebi è barathro:

F

Fiscum

Fiscum inopem queritur Libitina, vacareq; luget
Mors falcem, q̄verit nauis aucta Charon.
Consilium, auxilium poscunt, sit copia cuiq;
In commune bonum pandere sensa animi.
Pars stupet attonita, ast desperans altera fatur,
Viribus baud valui, nil valeo insidiis:
Omnia frustra omnino, omni inq; loco, inq; adeo omni
Tempore, ut ut norim tempus, ut utq; locum.
Frustra, inquit Plutoq; doli, expertaq; tot artes,
Ledere non nostrum hunc, est potis ulla, virum.
Mussat, luget, turba. Deum domus alta silescit,
Discedunt cuncti concilio exanimis.
Ast furibunda redit, revocat, Dea callida, cunctos
Persephone, & Plutoxi sua sensa aperit.
Sume animum, magniq; animi insuperabile robur,
Instrue vis solidâ pectus, & arma cape.
Arma, quibus vanoq; metu, & terrore fugato,
Obvia crudeli strage pericla cadant.
Vis est consilio firmanda, occasio rara
Advertenda tibi, tempus & usq; locus.
Si simul astus inest in vi, visq; insidet astu,
Vincemus MAGNUM, magnum ita in arte virum.
Quaerenuit caput, admittunt ea, cetera membra
Spicula, perq; latus fraude petendus adest:
Tandem aliquando inveni aliquod tempusq;, locumq;
Viribus, insidiis, artibus apta tuis.
FILIA Gambryum concessit, noxia vitans
Belli non belli, nunc patris arte procul,
Exposita insidiis, cadet illa, ut sentiat ille,
Ledere quod nostrum hunc sit potis ulla virum.

NUNC

NUNC NUNQUAM! quid jam victrix tam sera triumphum
 Differo? quid verbis me moror ipsa meis?
 Tu freme mox circum caput illi forfice Clotbo,
 Sterne & tu Libitina officiosa torum.
 At tu cinge triumphali nigra tempora taxo
 Mors citò, & admissos fortius urge, age, equos.
 Nam si unquam exuvius onerata fuit tibi opimis,
 Exuvius tibi opimis, jam onerata rota est:
 Siq; hominum gaudes lacrymis, gemituq; Dearum,
 Parta tibi in longas gaudia olympiades.
 Dixerat. En subito cadit URSULA filia MAGNI
 MAGNE vir, illà & tu sic ferè Magne cadis.
 Cum subito attonitas infandus nuncius aures
 Accidit, bei, vixit maxima cura tua.
 Dum miser arumnas, & acerbi tristia casus
 Damna, vel instabiles sorte rotante vices:
 Dum duros lacrymis defles gemituq; dolores
 Per vigil in curas nocte dieq; tuas.
 Talis, ubi exanimem Patroclum audivit, Achilles
 Nisus in Euriali funere talis erat.
 Dum plangisq; manu turbatum pectus utraq;
 Et jacies in magnos libera verba Deos.
 Nempe, Deis credam cura mortalia? credam
 De Mundi fati sollicitum esse Jovem?
 Cum videam in primo, NATA UNICA, flore juventa
 Stamina netriceis sic tibi rumpere anus?
 Vab! quicumq; DEUM astratâ prospectat ab arce,
 Aut ridet, nos atq; astragalum vice habet:
 Aut ut cœlesti securior incubet ostro,
 Clavum orbis, Fortune imposuit manibus!



Qua, licet inconstans, nimum constans tamen est, quum
 Vult prodesse malis, vult nocuisse bonis.
 Sic nunc illa jaces Charitum illibata medulla,
 FILIA, nunc funus, quae modo foenus eras.
 O spes fallaces! quò nunc cura illa, laborq;
 Sobria quòq; Ceres? Sobria quòq; Venus?
 O sortis nimum scæva glaciale cor! atri
 Sideraq; ò nimum cœli inamabilia.
 Hæ. Peregrè in durâ moreris Nata advena terrâ,
 Tam procul à patriâ, tamq; parente procul?
 Nullus ubi finxit placitura tibi auribus ultro,
 Nullus ubi nutus quivivit obire tuos?
 Quid feci miser, & tantam quo crimine pœnam
 Promerui? aut quamam tam gravis ira Deum?
 Ah perii! penitis liquefiunt ossa medullis,
 Mensq; vaga excitis fluctuat in lacrymis.
 O dolor! O lacrumæ! quæ sat lamenta dolori,
 Quæ satis in lacrymas unda futura meas?
 O vitam invitam! ò invita tristia vite
 Tempora, perpetuis tempora foeta malis.
 O fata infanda! ò infamia fata! quid, ab, me
 Quid fiet? mihi quid jam reliquum esse potest?
 Non saltem licuit supremis URSULA verbis
 Triste VALE audire, & dicere triste VALE.
 Hic dolor, hæc imas exhaurit cura medullas,
 Hoc mihi præ reliquis flebile cordolium est.
 Hinc crucior, variisq; modis & morsibus aspris
 In varias miserè particulas laceror.
 Non adeò sevos inferno Acheronte dolores
 Infelix pridem perpetitur Tityus,

Infelix

Infelix Tityus: crudi qui vulturis ungue
Obscœna assiduò viscera distrahitur.
Infelix Tityus: sed ego infelicior illo,
Corporis illi etenim, mi laniena animi est.
Quo me igitur vertam? tantis cruciatibus unde,
Unde petam medicas experiarq; manus?
Scilicet una mei casus medicina, madentes
Perpetim erunt lacryma, & cum lacrymis gemitus.
Ergo gemo, ergo fleo, & gemitu exedo corda perenni,
Fletibus undantes & perimo usq; oculos.
A luce ex oriente ad noctem plurimam, acutè
Trunca super caro funere verba queror.
Qualia Strymmonios Orpheus formabat ad amnes,
Dum miser Euridices fata iterat a gemit.
Donec, ut absomit violens pingvem ignis olivam,
Cor misero tandem cura dolorq; necet.
Talibus haud cessas lacrymis urgere sepulchrum,
MAGNE, tibi hac rivi more fluentis eunt.
Sed tibi quæ pietas sic frontem uvescere iussit,
Vir MAGNE, & largo perpluit imbre genas,
Hæc eadem fletu tepidum irrorare sepulchrum,
Ut tandem pauses, filia & ipsa jubet.
Namq; olli diæ jam splendet gloria lucis,
Eg; domo Superum talia dicta jacit:
Quid mihi, quid cœli semper florentis honorem,
Conturbas lacrymis, tu Pater ipse, tuis?
Evasisse juvat terras hoc turbine rerum,
Hic pacis ridet perpetua almities.
Hic nulla strictis acies mucronibus horrent,
Nec minitabiliter tympana tenta tonant:

Vos circum tonuit gaudens Bellona cruentis,
Sanguineâq; ferox cuspide pugnat Ares.
Nunc vestras agitat tristis Discordia sedes,
Impius & toto sevit in orbe furor.
Nobis parva quies. Fati creperâ altior aurâ
Fors dubio in terris turbine cuncta rotat.
Viximus, & numeros virtutis obivimus omnes,
Viximus, (hoc Sophie te docet) ergo satis.
Tu quoq; vive DEO, PATER, ab, nam vivere mundo,
Mortis opus: sola est, vivere, vita, DEO.
Sic ait, & latè ambrosium diffundit odorem,
Æternâ quoniam disfluit ambrosiâ.

DESINE cordivori nunc ergo desine Luctus
O decus, ô artis gloria Paonia,
Idemq; Aonidum lux ô Vir MAGNE Sororum
Ob Nata chara flebile discidium.
Illa brevem absolvit pœnarum faustiter orbem:
Nos alia ex aliis fata manent miseros.
At tu Christe veni tandem, nosq; eripe turbis,
Tu venies JESU tempore Christe tuo.

CHRISTE VENI, BONE CHRISTE VIDE, CHRISTE OPTIME VIN-
SI VENIAS, VIDEAS, VICTOR ES. EJA VENI. (CE:
Eja vide, VICTORq; TUOS tibi JUNGES TRIUMFANS;
Voto uno hoc claudunt omnia vota TUI.

Testandi affectus & οὐκ ἀδελφῆς erga Anado-
chon meum honoratissimum properè
fundebam.

Adamus Nössler, Sereniss. Septemviri
Brand. in Neomarchiæ Dicasterio Cü-
strinensi Consiliarius designatus.

Eheu!

E Heu! fugaces prætereunt dies,
Anni labuntur, spes hominum leves
Falluntur, & quæcunq; longo
Nos miseri fabricamus ævo.
Si fortè cælebs displicuit tibi
Ordo: ut marito fœdere vincias
Dextram, atq; amore prolis, arcto,
Vivere si libuit, capistro.
Jam dulcis imo pectore spes subit,
Dulcesq; natos, pignora lectuli
Natasq; jam videre quærens,
Fulcra gravis reparans senectæ.
O quot laborum millia pectore
Versabis! uxorne malè faucibus
Morbis fatiscat, aut puellos
Ante diem Libitina carpat.
Aut si faventis Numinis optimam
Expertus auram: crescere filias
Gaudensq; pleno ductus ævo,
Blandus avus cupias nepotes.
Turbabit hæc mox gaudia multiplex
Æstus, quietem rumpere gestiens
Curis: & instantem senectam
Reddere ceu fuit antè, tristem.
Ne fors, malignis febribus enecet
Aut Parca natam; neu Gener ultimos
Quærat Gelonos, tot periculis
Sarmaticas adeat pruinas.
Quid si latrones incidat in malos?
Merces avarum devoret aut Mare?

Quid

Quid si vel ipsum tot tenellis,
Mors rapiat viduæ & pusillis?
Quid si remoto sidere dislitas
Gentes, & urbes visere gestiât?
Lucrumq; sectans, si vel ipsos
Eripit ex oculis nepotes?
Isthæc malorum te recoqvît phalanx,
Et corde versans cura sub anxio:
VIR MAGNE: tristem quæ senectam
Jam macerent, sine fine, & orbam.
Te flere Natam morigeram, & probam,
Cogit paterni pectoris intimus
Amor: nepotes quòd misellos
Jam teneat peregrinus orbis.
Ergòne tantum Parca vorax decus
Subtraxit? Albis quod lachrymans satis
Deflere vix possit: fluentis
Omnibus in lacrymas solutus.
Sed jam dolori fac statuas modum,
Natam requirens: illa periculis
Erepta cunctis: jam supernis
Arcibus addita, læta civis.
Terras, & urbes, divitias graves,
Despectat omnes, cœlitibus choris
Permixa, non horret latronum
Spicula, non equitum cohortes.
Dilecta cœlo, charior & DEO:
Subtracta paullùm: mox tibi redditur.
Jam luce splendescens decorâ
Induitur nova Sponsa CHRISTI.

Desiste

Desiste pectus tundere : planctibus
Canos capillos vellere desine,
Præmissa, non amissa nata est;
Gaudia quamq; superna reddent.
Magnos dolores pectore comprime
VIR MAGNE: magnos magna decent: novas
Spes concipe, & jam nunc anhelans
Tu superos quoq; tende ad orbis.
Illic repertam conspicias ovans,
Natamq; dulcem dulcibus osculis
Desvaviaberis, simulq;
Gaudia percipies beata.
Illic dolorum cuncta malagmata
Quæ nec Machaon, nec Podalirius
Novère: nec Cous medendo
Optimus, atq; loqvax Galenus.
Quid sit futurum cras fuge quærere:
Stirpem piorum, Numina cœlica
Tutam reducent: atq; natos,
In meliusq; vehent nepotes.
Solatiorum hæc summa, tibi & mihi
Communis esto: qui similas, gemens,
Expertus, unicâq; Natâ
Orbis, & hos supero dolores.

*Jacobus Treterus, U. J. D. & Dicaster:
Pomeran: Duc: Advocatus
Senior.*

G

Cl-

Clarissime & Excellentissime Vir.

Ultro ad hanc scriptionem descendo, quamlibet de facie vel literarum commercio haecenus incognitus, pro eo quem affectui tuo debeo affectu. Nam quia post luctuosam dulcissima filiae jacturam, pro filio tanto magis angere deinceps posse te, uti hoc tempus est, facile praesumo: non communi tantum & tralatitia illa solitudine, quam patres magis in personam filiorum terrentur, verum ~~per~~ ^{per} ~~per~~ ^{per} illam, quam hujusce tempestatis ratio injungere videtur, eam tibi curam aliquam levare, imo, si pote, adimere visum: Tanto magis, quod nullus dubito, de Geneva nostram tale aliquid ad vos perlatum, quasi malo alicui jam succumberet, ex iis quae orbem Christianum hodie ferme exercent. Quam quidem famam inanem & cassam habere te volo. Annona equidem non tantum caritatem verum etiam defectum prope fuit ut timeremus, verum per DEI gratiam metus ille nunc sublatus. Hostilem etiam ex Italia exercitum manibus nostris prope conspicuum vidimus pronuper: verum is ad has partes traductus quasi occursurus Gallicano exercitui, qui in Italiam pro Duce Nivernensi perrupturus videbatur: sed quia civili bello Gallia distinetur, atque id unum Rex agit, uti Ruppellanorum, ut ille vult, contumaciam frangat, dimissus iterum exercitus. Tertium est, Lues, quae sevisima Lugduni, atque in vicinam Bernarum regione: a qua tamen summo DEI beneficio nos immunes sumus: Nos viderimus, uti haec Divini Numinis indulgentia, seria ad ipsum conversione propria & perpetua esse possit. De Filio tuo haec habe. Ingenium modestum & ad pietatem compositum: tempus optimè locare, atque in iis esse, in quibus eum esse velis: Ita mihi credas valim; neminem unquam habuisse me, cui magis factum vellem: ita de me meretur haec morum lenitate. Ipse caelestis Archiater, tuo Vir Cl. & Excell. dolori mederi, ac te diu sospitem, cum familia esse velit. Geneva 6. Octobris, 1628.

Tuae Excell. Studiosiss.

Jacobus Gottofredus, D. & Juris
Prof. Publ.

S. & O.

S. & O.
NOBIL. CLARISS. & EXCELLENTISSIME VIR,
FAUTOR officiosè colende.

ERGò hoc unum restabat, in hac impetuosa publicarum tempe-
statum scævitate, quæ uniuscujusq; Boni animum infestant, de-
bilemq; reddunt; ut de inopinâ, immaturaq; filia Tuæ, uti u-
nicæ, ita oculissimæ morte, illatibile nuncium acciperes? Hem! ca-
sum Tibi acerbum, Matri luctuosum, Marito damnosum, orphanis
irreparabilem, amicis dolendum. Nam etsi ab animo, ex Israelis
fontibus, satis instructus, ac corroboratus sis: Tamen quia hanc â na-
turâ legem accepimus, hausimus, imbuimus; ut nedùm proprium
nostrum, sed cognatum quoq; nobis sanguinem amemus, æstime-
mus: nemini mirum videri debet; vel si cum Homericò illo Jove
αιματωσας ψαδας destilles: Uno verbo: parentes estis:

nec vobis cornea fibra est:
Ut belluino, non humano more, siccis oculis, aut æneo pectore fu-
nerationes vestrorum audire paternum, maternumq; adfectum
exuere; & tam cari capitis, sine lacrymis, oblivisci queatis. Imò ve-
rò, tanti mœroris magnitudo, quæ vos premit; & domestica illa ca-
lamitas, quod Psammenitus agebat, major lacrymis esse potest: id
quod ingeniosissimus pictor Timanthes, immolatam Iphigeniam pe-
nicillo referens, innuere voluit: qui patris Agamemnonis caput,
cædem cernentis, velo obduxit: reliquos aræ astantes

*juvenesq;, senesq;,
Vulgus, proceresq;,
querulos, lamentabundos, gementesq; finxit.*
Optimus verò maritus, amisso conjugali solatio, quo ad sere-
nandos animos nullum est præsentius remedium; cecidisse coronam
capitis sui triste queritur,

Quale gemit cæm sublato compare Ceyx.
Novit enim pro prudentiâ suâ, conjunctionem maris, ac fœmi-
næ, quàm leges nostræ matrimonium vocant, aliàs nuptias appel-
lant, ex Herodoti sententiâ, constitutionem domus esse: cujus ful-

cro, ac fundamento nunc diruto; mallet cum Artemisiâ, quæ, ultra adfectionis humanæ fidem Mausolum, virum suum, amasse fertur; ossa, cineremq; defunctæ conjugis suæ, in pulveris faciem contusa, ebibere: ut mortua in corpus consumeretur; quod viva calidissimo adfectu semper profecuta fuit: si humanum, si Christianum esset. Quatuor insuper relicta thori pignora, quæ, in tenellâ adhuc ætate, irrevocabilem, eoq; magis lacrymabilem orbitatem experiri coguntur; non proletario, sed intensissimo amore materno, ante dies, præcipiti ruinâ destituuntur. Omitto virtutum ornamenta cœlitis nostræ; quibus ad invidiam insignita fuit: quæ, quò splendidiora emicârunt; eò majus desiderium in animis Gentilium, ac propinquo- rum reliquerunt. Nam veluti,

nec imbellem feroces

Progenerant aquila columbam:

ac simile veri est; eos qui ex melioribus nati sunt, meliores quoq; existere: ita Beata nostra, parentum curâ & industriâ ad honestatem præparata, ex eorundem semine, & materno lacte, omnia virtutum semina, felici naturæ solennitate, â teneris ungviculis attraxisse videtur. Imprimis verò, præter palmarium Christianæ fæminæ decus, pietatem ac Religionem, quâ DEUM purâ mente, manuq; devotâ animi reverentiâ coluit; laudatissimo obsequii studio ac voluntate, erga amantissimos parentes promptissimâ, in virginali adhuc statu nulli Iphigeniæ fuit secunda. Cæterùm, foeminio sexui in hac florescente suâ ætate, uxor, materq; facta, faciem prætulit modestiæ, castitatis, mansuetudinis, patientiæ, æquanimittatis. Officii autem conjugalis fide, in maritum ita excelluit; ut præ illâ Saram vix Saram, Abigaelem vix Abigaelem, Penelopem vix Penelopem dixeris: pudore, scilicet, sedato cupidine, DEI metu, mariti amore, ac concordia. Quam felicitatem inæstissimo viduo auxit desideratissimæ matronæ fecunditas; Regno DEI gloriosa; Rei autem publicæ, nullo non tempore salutaris, ac necessaria. Porro, ejus sine teneritudine pudens εὐσπογία, Corneliæ Gracchorum matris, omnibus auri, gemmarumq; κερμηλίοις liberos suos præferentis sollicitudinem ac providentiam, primâ

primæ educationi prospiciendo, longissimè superavit. Hasce igitur singulares optimorum parentum delicias, hoc matrimonium, quod ad exemplum boni conjugii sufficere potuit, quia DEO Opt. Max. placuisse videmus, peracerbo hoc casu interrumpere, ac, quasi in medio cursu, antequam partum conspiceret potuit, frangere; æquum est, hunc placidâ animi nostri patientia ferre ac firmare: maximè cum sciamus, ab Supremo Numine omnia sic disponi, ac dirigi: & omne quidem bono hominis: hominis præsertim Christiani: cujusmodi hæc etiam fuit; cui istam à laboribus requiem, à miseriis liberationem, ab ærumnis asylum, à squalore gaudium, æviternamq; beatitatem iuvidere piaculi loco ducere debemus: certò statuentes, præclare cum ea actum esse; quæ hujus corporis, multarumq; publicitûs, indeq; privatim consecutarum calamitatum vinculis soluta; paucorum annorum accessionem, innumerâ virtutum accretione, imprimis verò beatissimâ *ἐὺ φανασία* compensavit: Teq; Patrem avumq; colendisimum, beatum in nepotibus reliquit. Quorum mores ab avito generis fundatore in sobolem transfusi; Si eandem Tecum sortientur naturam; (id quod sperandum ac votendum:) & in filio Tuo JOHANNÉ-FRIDERICO, ad omnia optima nato, & in hisce nepotibus tuis felix, florens, fortunatus, prædicaberis.

Hinc Tibi nunc igitur spes, ac solatia surgant.

Maximum autem, & contra omnes assaultus, ipsasq; inferorum portas, validissimum solatium est; Nil nos sejungere, & ab amore DEI dividos facere posse: Huncq; fidelem nobis benignissimumq; Patrem mansurum; sive blandiatur, sive nos castiget: ut hoc mihi de suo Augustinus largiatur. Et reverà cum Regio Psalte dicere, ac sentire habemus:

*Qui malè fecunda commisit semina terra,
Et corde tristis multa volvit anxio;
Si venit uberior seges imbribus aucta benignis;
Exultat hilari cor metentis gaudio.*

Ego verò, ne lugentis Amici officio deesse videar; non quidem solenni antiquis more, lilia, rosas,
& thymbâ^v plenos calathiscos.

tumulo inspergam; nec exequiarum pheretro candelas sevo cerâve
circumdatas præferam; quod gentilitatis est, ac fuit: sed amicæ con-
dolentiæ ergò rudiuseulos aliquot versiculos, penuriâ temporis fusos
magis, quàm adfectos, ne dicam perfectos, tramitto: quos æqui boniq;
consulas oro. Piè autem defunctæ matronæ nostræ,

Spirantesq; crocos, & in urnâ perpetuum ver
voveo: DEUM precatus, ut Te VIR NOBIL. cum superstitè fa-
milia, inoffenso pede, diu salvum, atq; incolumem clementer è su-
pernis fervet, ac tueatur. Dabam Genevæ Allobrog. d. 6: Octobris,
An. c l o. d c. x x i i x.

SI genus humanum, & mortales cernitis actus
Dixeritis bullam, ac spreti ludibria venti.
Vita etenim nihil est aliud, nisi mortis imago.
Divitiæ pereunt, pulcræq; anigmata forma,
Et quodcunq; sibi quisquam prodesse laborat.
Virtutesq; viriq; & splendida gloria mundi
Deperit; haud ullis precibusq; opibusq; juvanda.
Fœmina, masvè fuat nullo discrimine habetur.
Alcides, Priamusq; Aeneas, Hector, Achilles,
Sisera, Juditæ pallenti abscondita luco est.

His numeranda venit, claro sata stemmate MAGNI
URSULA, Milceodæ Coniunx, dum sata sinebant;
Ast nunc cara poli civis, calesq; beata
Cœlicolas inter proceres, superosq; Dynastas.
Profuit haud virtus nomeng; viraginis, aut res
Priva, sui novit quam dispensare mariti:

“ Omnes Morta manet, nos omnes una manet nox:

“ Cuncta nihil, lacrymæ, mortalia, vana, caduca.

Si proprius Pietatis honos probitasvè parentum
Sistere mortis opus posset, Lethiq; furorem
Tollere; Nostra etiam satis (heu!) defensa fuisset.

Alter Apollo Pater cluit, & Podalyrius alter;
Quem pietas, quem cara fides, quem candor honestat.

Mater

*Mater fœminei lux fulgentissima sexûs,
 Ofterrodiadum de sanguine nata propago.*
 “ *Sedula virtutem sequitur natura Parentum;*
 “ *Seminio plantata patris, conspersaq; Matris;*
 “ *Nec vitulum Philomela parit, vaccaq; columbam.*
 “ *Usq; adeo à teneris multum sibi vendicat ortus.*
 Scilicet hoc Nectar, quod suxit ab ubere matris,
Omnigenas virtutis opes rectumq; piunq;
Non sine divino sacrati numine flatus,
Exeruit felix totius tempore vitæ:
Non ulli nocuisse, suum tribuisse cuiq;
Inprimisq; laborando placuisse Jehovæ.
Cetera quid referam? nil quàm cœlestia gesit,
Nixa D E O, in dubiis rebus, cunctisq; periclis;
Salviscoq; ejus verbo constanter adhaerens.
 “ *Principium vitæ ætheriæ Pietatis origo est:*
 “ *Omne tulit punctum, qui terræ prætulit altum.*
 Ac quia supremo auspicio benedictio JOVÆ
Cultorem ditare suum promittit; eosq;
Qui sancto obsequii studio coluere parentes:
Hos habuit stimulos, sola hæc, atq; unica vota,
Quò merito meritum possit pariare parenti;
Indole proq; sua æternæ solvere Matri.
 Hos penes, in carum cura est traducta maritum,
Intemerata Fides, socii concordia lecti.
Unus amor, nullo temeratus fellis amaro,
Corporibus geminis mens una, eademq; voluntas;
 “ *Dulce est; cum Cajæ respondent verba mariti,*
 “ *Alter &, alterius cum forsitan poscit opem res,*
 “ *Concordi mentis normâ conjurat amicè.*
 Adde pudicitiam, de quâ mala fama veretur
Mentiri, innumeris virtus mage digna Pyropis.
 “ *Matronale decus vitæ nomen adæquat.*

Nec

Nec minor hanc sequitur Regina Modestia ; virtus
Aurea , perpetuâ semper dignissima vitâ.

Quid memorem sobolis curam , Matrisq; laborem
Sollicitum nocturnâ operâ , dextrâq; diurnâ ;
Integritate pari , ac sollerti indagine mentis ;
Ut nullus dubitem , Rhadamanto iudice , matrem hanc
Preposuisse Tibi mater , Cornelia , Gracchum ?

“ Sic sic erudiens natos , fulgebit ut astra .

Immo jam fulges , lacrymarum valle relicta ,
Et carnem , mundum , Satanamq; Orcumq; triumphas ;
Hic ubi perpetuo Tibi parva ferenda corolla est .

“ Quisquis carceribus mundi est exemptus , ovali

“ Dignus erit , dignus victrici fronde coronâ .

At vos , defunctæ quos tristia funera tangunt ;
Cordicremos gemitus , & singultantia verba .

Sistite , mordaces & pellite corde dolores :

Haud obiit , sed pracescit ; mundiq; molestum

Excisit dominantis opus ; plenaq; fruisçi

Letitiâ gaudet , pars omnipotentis Olympi .

Cernitis immineant varia ut discrimina mundo ;

Ut Bellona tonans , ut sevi Martis Enyo

Fulminet , & Lachesis toto grassetur in orbe .

Illi parva quies , tutâ statione locata :

Nobis horrifonum mortis mare restat eundum .

Ergo agite , & DOMINI ducunt quâ iussa , sequamur .

“ Ritè Ducem sequitur sidus sine murmure miles .

EPITAPHIUM DEFUNCTÆ.

Summam precedentium Elogiorum continens.

URSULA MAGNA , uxor Milkæi , hac rupe quiescit ;

Iphigene re , Cornelia , Penelope .

συμπραδείας & observant. ergo L. Mg. scrips.

Joann. Steinberg. U. J. D.

Hen

Heu quàm fortuito pereunt mortalia casu,
 Quàm citò res nostras alta ruina trahit!
 Heu quàm vita fugax, fragiliq; simillima vitro est,
 Illisum leviter quod superesse nequit!
 Nil atas, nil forma juvat: discrimine nullo
 Demetit humanum trux Libitina genus.
 Qui dederat, data surripuit: bona collocat usu,
 Mancipio nulli dat tamen ista DEUS.
 URSULA jam casum mortis superavit acerbum,
 Jam fruitur requie mens sine fine suâ.
 URSULA magna fuit spes Matri, magna Parenti:
 URSULA nunc cœli fulgida regna tenet.
 Assiduos misero gemitus plangore Maritus
 Edit, & infando corda dolore gravat.
 Ob matris fatum Nati mœrore tenentur:
 Inq; sinus liquida decidit imber aqua.
 Inprimis Mater, tristi circumdata vultu,
 Ex animo Nata funera mœsta dolet.
 Tu quoq; discesu Nate, Clarissime Doctor,
 Ingemis, & meritò te fera fata movent.
 Sed pia sustentet quoq; consolatio mentem,
 Anxia ne luctus pectora rodât atrox.
 Arbitrium Domini patienter ferre necesse est:
 Omnia nam nutu versat agitq; suo.
 Unde gravis sit mors, & cur, Ecclesia novit,
 In sanctos prorsus nil ea juris habet.
 Criminibus nostris debentur talia fata:
 Quæ nisi mors nobis demere nemo potest.
 Ingeminant elementa minas, surguntq; tumultus,
 Majus & ostendunt astra timore malum.

H

Felices

*Felices autem qui per compendia vite
Gaudia perpetua delicia petunt.
URSULA cum sanctis caeli jam degit in aula
Filia, in auditis perfruiturq; bonis.
Exigua corpus recubat telluris in urna,
Sed mens Angelicos inspicit usq; choros:
Namq; tabernaculum tenui de pulvere cretum,
In cineres, fato sic statuente redit.
Osa tamen, gelidis modo commendata sepulchris,
Prodibunt certa post redi viva die.
Cum solio Christus Judex residebit in alto,
Et sua pro factis premia cuiq; dabit.
URSULA perpetuam tunc comportare coronam
Digna erit, & potis est luce perenne frui.
Pone modum lachrymis, Genitor maestissime, luctus
Abjice: nam fatum quis remove potest?
Stat finita DEI, nec devitanda voluntas
Omnibus: in terra vivit ut exul homo.
Nemo sibi debet proprias hic figere sedes:
Est in sublimi patria nostra loco.*

*Συμπαθείας καὶ Φιλίας ἐργὸν scriptum ex Castro
Cüstrinensi Neomarchiæ, die XVII. Septemb.
Anno Χριστογονίας 1628.*

â

*FRIDERICO MÖLLERO, Seniore, Phil. & Med.
Doctore, in Fortalio Cüstrinensi Medico Electo-
rali Brandenburgico.*

Si pie-

SI pietas, morumq; decus, formæq; venustas
Tuta essent sævæ Mortis ab insidiis,
Non tu dilectâ tibi natâ MAGNE careres,
Non uxore gener, non genitrice nepos.
Nunc quando vulgare nihil legit illa, rapitq;
Optima, non potuit vivere VESTRA diu.
Tu tamen, ô Vir magne, tuo moderare dolori,
Et dura tanti nominis usq; memor.
Olim restituet PATER omnibus omnia SUMMUS,
Et quæ funus erat, nobile fœnus erit.

Testanda debita συμπαιδείας ergo fundeb.
Altorphi

Georgius Nœslerus, D. & P. P. Principis Pa-
latini & Reip. Norimb. Medicus.

Quæ Martem fugit, at mortem vitare nequivit,
Maxime amicorum, Filia MAGNE, jacet.
Magnus at es Medicus, sic re, sic nomine MAGNUS,
Luctum, animosq; tuos vincito, major eris:
Restituet nobis, dederat quot, & abstulit, omnes,
Quàm, quæ forma fuit, nobiliore, DEUS.

Uxorem & geminos filios intra Xdium uno mor-
bi & mortis genere, diversis locis, sublato lu-
gens, nunc συμπαιδείας

Christoph. Albinus, Med. Doctor,
Poliater Stetinensis.

H 2

Fortè

Fortè Novem Mesfes abiêrunt, Fata ubi Natum
 Tresq; aliæ, Natam cum rapuère meam.
 Cara fuère quidem, fateor, mihi pignora, Verùm
 Ista magis summo cara fuère DEO:
 Scilicet eripuit tenerâ hos ætate periclis,
 Martia, tot, quibus hæc tempora plena vides!
 Quantò major amor, tantò majora paterni,
 MAGNE, tamen credo vulnera cordis erunt.
 Exemplò hoc propriò jam contestaris, acerbæ
 FILIA dum periit falce resecta necis!
 FILIA morigera (Ah!) quæ non puerilibus annis,
 Ætatis cecidit flore sed in mediò! (ter!
 FILIA, quæ (dolor heu!) fuit UNICA! Fœmina! Ma-
 Rellicto, abrepta est, Conjuge, Prole, Patre!
 O quàm magna tui sunt isthæc vulnera cordis!
 O Vir Amice, tuus quàm gravis iste dolor!
 Magnus at in magnò jam sis constansq; dolore,
 NOMEN & in luctu sit Medicina Tuum.
 Quod reliquum est, MEDICO committas, MAGNE,
 (supremo,
 Vulneribus præstans Ipse μάλαγμα dabit.

E Stetinò-Pomeranorum veteri mitteb.

XVII. VII BRIS, Anni

CLΘ. IΘC. XXIIX.

Andreas Hildebrand, Med. Doctor.

STROPH.

STROPH.

Quid animi esse rebor, *MAGNE*
Clare Tibi, perlato ad temet
Rumore de filiā obitu unice
Caræ & unicā? Mihi
Mens congelascit ipsi, stupetq̄;
Calamus, perterrito
Infelice adeò tristiq̄;
Nunctio. Cæcam verò esse
Mortem, vel hoc addiscere exemplo licet.
Ita enim nisi esset, frontis decor
Eburnæ, genarum purpura
Corallinarum, morum probitas,
Venuſtas, integritas fa-
talis jaculi retundere,
Vel remorari saltem valdè
Ancipitem quîset aciem.

ANTISTROPH.

Tenerioris ævi quæ spes
Purpureo in flore? in laudatâ
Formæ indole? in candidi animi entheis
Dotibus? juvenulam
Ceu proterit petulci bovis pes
Violam: sic improbâ
Vi demessuit immaturam
URSULAM nobis seu cæca
Seu bruta Parca. Heu sortem acerbam! ut nil diu
Triviæ sub orbe intactum manet!
Caduca cuncta, fasces, pompa, vis,
Opes, decor, pulchror, robur, honos,
H 3 Caduntq̄;

Caduntq; instar folii, aurâ
Quasfa violentiore. Ne-
scit pietas & virtus sola
Ambiguæ lubrica Deæ.

E P O D.

FAcile interim metiri est tuas
JANE-GEORGI, lacrymas natam
Lugentis, tot bonis florentem
Animiq; corporisq;, ex Svevi
Fletibus glauci, Albisq; cærulei,
Desiderantûm nympham, obitumq;
Ejus ferentûm indignè. Nascentem
Quippe irroravit ille; hic dena-
scentem adpersit: dilexit verò
Uterq;. Horis decentiorem,
Scintillantiorémq; Hespero
Dolestu quidem meritò: sed dolori
Modum statues, hæc contemplatus
Tempora, quæ sursum volvunt deorsumq;
Sacra & profana omnia. Gratemur
Itaq; his ereptæ malis, chorisq;
Insertæ fidereis: meliora verò
Speremus. Regnum quidem jam possident
Vis & injuria. Atqui superba numquam
In solida stetit felicitas. Ad
Finem namq; pervenisse oportet
Quæ ad invidiam perducta sunt.

Primislav. scribeb. Calend. Septemb.

Anni 1628.

Justus Grifius, D.

Curâ

Intrepidæ maneat preciosa parentia Morti,
In vita quamvis, habitacula, fortè Minervâ.
Quid manet, excruciet quod Te, clarissime Doctor?
Perpendas potius, quòd jam non amplius ullum
Imperium possit Romanum ferre beatum:
Sed cui Relligio cordi est, huic retia tendit
Artibus aut reprobis, aut vi, quæ magna futura est.
Hoc vitare cupit Tua Filia, morte periculum,
Nec melius vitare quidem potuisse videtur.
Magna proin^o, VIR MAGNE, tuo Medicina dolori
Sit bona conditio mortis; sit pessima vitæ.

Tui Clariss. Dn. D. indefessi laboris in restitutâ vale-
tudine memor ponebat.


*Andreas Theodoricus à Klizing, Cassaris, in
Walsleben & Domertin hereditarij, filius
Nob. March.*

MAGNE, Decus Phæbi, Medica fama inclyta gentis,
Quis Tibi mærorem, leniat alloquio?
Mærorem tantum! quem si vel ferreus hostis
Cerneret, in lacrumas iret & exequias.
Filia rapta tibi est! Durum, sed durius illud;
Unica, & ante diem, filia rapta tibi est.
Filia, cui mentem Eusebie, geniumq; Minerva,
Cum facie vultus, sinxerat ipsa Venus.
Filia, delictum quondam Matrisq; Patrisq;
Fulcimenq; tue Clare Marite domûs.
Heu mortem fleendam cum flebilibus lamentis!
Heu nimium properæ fata inopina necis!
Siccine deflores, sic herbescuntibus annis
URSULA feminei flosq; decusq; Chori?

Sicne

*Sicne Maritales thalamos? sic tecta Paterna?
 Prolemq; impubem siccine destituis?
 Sed quorsum tandem, tot mentis fragmina, & illi
 Singultus, quorsum flebile cordolium?
 Siste graves, Vir Magne, graves age siste dolores,
 Miri perpendens Numina iudicii!
 Haudquavquam humanis hoc venit vulnus ab armis,
 Sola D E I inflixit, caelitus alta manus.
 Ergo non rapta est! sed mundi mille periculis
 Subtracta, in Christi salva reposta sinu.
 O bene! Mors, vita est ipsi! Nam morte triumphat
 Christi, nec mortis sentit amariciem,
 Terra quidem corpus tegit, inter at oscula & ulnas
 Christi, caelestes mens tenet alma domos.*

*Erasmus Seidel / Cam. Elect. Advocat.
 & Reipubl. Berlin. Consul.*



Mortua ceu fuerat Vidua, heu! Naimitica quondam
 Gnatò denatò, Charior Unus erat.
 Erigit hanc CHRISTUS demandans voce potenti,
 Ut subitò surgat, stilla nec ulla cadat.
 Haud aliter moestos vos reddit morte peremta
 Gnata D E O, vobis, gratior Una fuit.
 Erige sic mentes quasas pie CHRISTE Parentum,
 Coelicolam sobolem restituendo brevi.

*Andreas Wernick, Camera
 Electoral. Brandenb.
 Advocatus.*

Nil

N Il nocet hac mihi mors, mentem quæ corpore solvit,
 Ni sit utriq; nocens, & necis una datrix.
 Janua sed vita, ceu proxima causa salutis
 Omnibus, en patula est, justificante FIDE.
 Vulnere dum CHRISTI constringunt mortis habenas,
 Mors morte atteritur, vitæq; morte venit.
 Hæc spes fixa animo me cælo sustulit: hæc spe,
 Flebile funus agens, nobile fœnus ago.
 Nunc capit aterna, mens immortalia vita
 Gaudia, non ullos immoritura dies.
 Tempus & exiguum restat, quo pulvere terra
 Exciti, ad cæli conveniatis opes.
 Ac licet infossum telluris corpus opacet
 Ossa: tamen superest nescia fama mori.
 Nunc PATER & MATER, PROLES, simul atq; valete,
 Christi adumq; mori, discite, more pio.
 Nec sit triste mori, nec triste resurgere: sed sit
 In morte, & vitâ, dulce, videre DEUM.

Christophorus Damerovius, Pro-
 tonotarius Neo-Marchicus.



M. JOACHIMI MENCELII,
 Ecclesiastæ Electoralis,

Negro Qwvnois.

Dum fremit, & sævit toto Mars impius orbe:
 Morte immaturâ Filia vestra cadit!
 Omnia dum complet furiis Babylonia Thais:
 Morte immaturâ Filia vestra cadit!
 Filia, quam Pietatis amor, quam cura Salutis;
 Quam tenuit veri Cultus, amorq; DEI!

Quam

Quam, decus eximium formæ, præ millibus unam,
 Ornabant vegetis æmula labra rosis!
 Gratuler, an doleam? dubia est sententia menti:
 Utraq; materiem sors habet ista suam.
 Ex animo doleo; tener hic quòd falce inopinâ
 Succisus fuerit flosculus, ante diem!
 Ex animo doleo; charis genitoribus ipsis,
 Unica quòd nata hæc rapta sit, ante diem!
 Ex animo doleo; dulci quòd Compare privus
 Milcovius rursus lugeat, ante diem!
 Ex animo doleo, fidâ quòd Matre, tenella
 Eheu! pœllucies orba sit, ante diem!
 Gratulor ex animo contrâ; hanc sua tempora vitæ,
 Immundo in mundo hoc absoluisse citò!
 Gratulor ex animo; hanc præreptam, vindice Johvâ,
 Quæ magis impendent, omnibus esse malis!
 Gratulor ex animo; hanc finem, metamq; laborum,
 Ævi mortalis tam tetigisse citò!
 Gratulor ex animo; cœlesti hanc sede locatam,
 Terrenum nihili nunc reputare decus!
 Ævi jacturam mortalis, longior usus
 Ævi immortalis, sarciet usq; bene.
 Intereâ cunctis dignè prospexerit orbis,
 Patrem quem proprium cuncta creata vocant!
 Hæc igitur quia sunt potiora prioribus illis;
 Pone modum lachrymis, tristis uterq; Parens!
 Nec natæ invidias, meliori sorte fruisi:
 Sat mundo vixit! sat cruciata malis!
 Præmissam vobis reddet Genitoribus illam,
 Singula restituens omnibus, alma dies!

EJUSDEM MALAGMA,
Pro leniendo vulnere cardiaco, CLARISSIMI VIRI
D. MAGNI, hiante etiamnum ob immaturum
Filix unicæ obitum.

VIta hec mancipio nulli datur, omnibus usui:
Certaq; præfixa est omnibus hora necis!
Hanc vitare potest nemo: cessare licebit
Nulli: lex istæ hæc omnibus una data est.
Nulla ergò nostram subeat miratio mentem,
E medio nostrum si moriatur homo!
Nec tu fata tuæ nimium mirare supremæ,
Nata; nec lacrymis utere perpetuis.
Cursum, quem dederat Deus & Natura peregit:
Nil rerum præter contigit huic seriem.
Sufficit, hanc CHRITO Domino vixisse; piusq;
Obsequiis cursum condecorasse suum.
Sic bene qui vivit, moritur bene: Vita perennis
Omnibus est Christi munere parta piis.

QVos gemitus? quæ vota foves? Clarissime Doctor,
Quæ tibi mordentis causa doloris adest?
Anne tibi querulos peperit Mors horrida luctus?
Sic est: Nata deest! portio cordis abest!
Hinc te tetrato vestitum Syrmate, tales
Pectoris ex adytis audio habere sonos:
Transiit heu nimium citò! Spes mea, Filia, fulcrum,
Vitæ, senii certa columna mei.
Transiit heu! lingvens Quatuor, (qua sorte? supremus
Novit!) at Orphanulos, Res mala, res misera!
Si lacri-

Si lacrimæ quicquam possent, medicina valeret,
 Si quicquam, fulcrum viveret usq; meum!
 Viveret & longos mecum traduceret annos,
 Solveret & tandem funera mœsta mihi.
 Quàm vellem medium scirem, quò morte superstes
 Ponatur, cordi gaudia mille forent.
 Sed frustra hoc quæris, *mi Doct̃or*, rupta manebunt
 Stamina, nec lacrymis hic locus, aut mediis.
Plangite mortales hæc tristia plangite vestra
 Fata, his de gravibus conglomeraata malis.
 Verùm, MAGNE, Parens, lacrymari desine. Namq;
 Salvificæ fidei certa corona manet.
 Certa corona manet fidei, jam Nata recepta
 Nuper in aureolâ sede, superna videt:
 Non illam vexant mala tempora, tristibus iris,
 Ambiguam patriæ, fors nec acerba tenet:
 Inter at Angelicos cœtus, cœlestibus explet
 Deliciis animi, gaudia sancta sui.
 Quapropter *salve* cœli nunc incola, *salve*
 Mens pia, perpetuæ gaudia lucis agas.
 Salve erepta malis, recubent tua membra sub urna,
 Donec ad adventum, *Christe benigne*, tuum.
 Et tu *mæsto parens*, cui mœror amaricat horas,
 Salve, nam similis prosperitatis eris.
 Interea mundi pelagus sulcare coacte
 Anchora in hoc certo sit tibi fixa metro:
Non anxii salvum faciunt, sed vita beatè
 Transacta, hinc certò, Nata beata cluit.
Prætereunt anni, velut umbra fugamur & ipsi,
 Mens pia sed remanet, Mens pia semper ovat.

M. Martinus Strömann, Eccl. Bernav.
 Præpos. & vicinar. Inspector.

MAGNE, Machaonii lumen, columenq; Senatûs,
 Magnaq; laus, magnis annumerata viris;
 Magna fuere, & sunt, quæ sunt tibi cunq; per ævum
 Exhibita omne tuum, Numinis auspicio.
 Et magnis numerentur in his si maxima tantum,
 Strictius his claudi finibus illa queant;
 Progenit te magna suis Augusta sub oris,
 Teutonia merito gloria magna suo.
 Magnus Apollineis te tradidit artibus ardor,
 Inde q; te Magnus nobilitavit honos.
 Ille tuum nomen magnum inclarescere fecit,
 Unde etiam es magnâ factus in urbe Medens:
 Scilicet, ambitiosus ubi Sprea volvitur, & quo
 BRENNONIS est summi Regia magna loco.
 Et tua dexteritas, donans te nomine magno,
 Profuit, & prodest: Urbs quod, & aula canant.
 At sicut magnum tibi magna lucrantur honorem
 Publica, privatis par honor est laribus:
 CONJUGIUM felix tibi gratia magna JEHOVÆ
 Addidit, & Sancti pignora Conjugii.
 Unica consummavit in his tua Filia laudem,
 URSULA qua Matris nomine dicta fuit.
 Virgo pudica tuis ita vixit in adibus olim,
 Ut fuerit magnum fronte minata virum,
 Nec tam nobilium facta est jactura minarum:
 Venere ad frugem, sine volente, suam.
 Et citò; Prosperitas qua tam matura secundi
 Numinis obsequium nobile nosse dedit.
 Ante ter elapsam nupsit tua Filia lustrum,
 Et tali, qualem fronte minata, viro.

Ille

Ille PHILIPPUS erat, MULKÆ A propago, labores
 Qui tolerat varios, inq̄, Salo, inq̄, Solo.
 Nam quia, non vini, somniq̄, benignus, obire
 Navitie magnâ munia magna solet;
 Non alia eveniunt navo. Sed pertulit omneis,
 Quando recordatus Conjugis ille sua est.
 Hor. O qui complexus, & gaudia, quanta fuerunt,
 Factus ubi ille redux eq̄, Salo, eq̄, Solo est!
 Mundus amet, dixit, gemmas, & præferat aurum:
 Jucunda Uxori nil ego contulerim.
 O magnum! hoc magno majus si maxima fingas,
 Dicere quid possis? Cœlica tolle, nihil.
 Sed sua deliciis dum gaudia quærit in istis,
 Nec peritura putat, facta caduca, brevi.
 Ecce! quod exurfit lacrimarum flumen ocellis,
 (Aureus, haud mirum est, autor ocellus erat.)
 Ante quater plenum pia decidit URSULA lustrum,
 Cordis, MAGNE, tui stella, PHILIPPE, tui.
 MAGNE, Pater, cecini primis tua magna sub orsis
 Omnia, nunc etiam, sed variata, canam.
 Magnus te luctus casû concussit acerbo,
 Filia supremum quo celeravit iter.
 Luctus hic an magno major, vel maximus haud sit?
 Unica decessit, quæ fuit una, FUIT.
 Quæ pia, quæ subolis mater fecunda tenella,
 Quæ fuit etatis gloria verna sua.
 Quæ genero, quæ te magnis Adfribus auxit,
 Spes educenda quæ tibi prolis erat;
 Prolis, Avum, quæ te celebrabit, tuq̄, Nepotum
 Nomine quam dulci nominare voles.

Que

*Quæ potis HAMBURGUM tibi conciliare fuisset,
Moribus, & pulchri dotibus ingenii:
Illius exsuviæ ad Fortum corporis istic
Extulit inclusas tristius officium.
Tristius officium non verè dixero, quando
Sunt oculi humentes, officiosi humeri?
Sed nec in hoc Obitu magnum evenisse negemus;
Sobrietas adsit si sua iudicio.*

Aus. *Omnia, quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
Magne, tua accepit Filia, dante DEO.*

Id. *Nupsit, concepit, peperit; jam mater obivit:
Facta quater, quintum sorte futura pari:
Ni fuerit ter-Sancto aliter res visa JEHOVÆ,
Millia quæ promittit dona, vel illa premit.*

*O magnum, æternum cui stet sua gloria, lustrum
Ante quater plenum, jam peperisse quater!*

*Ergo suis meritis anus est, et æte puella,
Quam properans avida mors sicelice fudit.*

*Ex animi ad plures visse feruntur, at absint
Turba beatorum: plurima turba mali.*

*Addita semigrans tua Filia dignius his est,
Quæ numero in paucis porta beata patet.*

*Illam recepit eam per acerba limina mortis,
Et nova ad æterni lumina duxit Heri.*

*Cœles ibi letatur, ibi est in pace perenni;
Parcit ei bellum, morbus, & omne malum.*

*Nil letum nocuit, nil prodiga Parca, sed ipsi
Letum letari, parcere Parca dedit.*

*Sine carni sua des: Mœrorum, & laudis abundè est:
Virtus ex lacrimis, laude quæ viva manet.*

Sic tua

*Sic tua solamen magnum tibi, Magne, reliquit
Filia, quod moriens donet utrumq; Solo.*
Gignere mœrores hominem, laudemq; mereri,
Illius est unum post sua fata lucrum.

MATTH. Reimann/Eccles.
VVriezæ ad Oderam Pastor,
& Vicinarum Inspector.

MAGNE Vir, ut pectus Tibi quid malè sauciat
(ægrum,
Anxia de Gnatae Funere fama tuæ?
Flebile sat, fateor, fatum est, quod Te angit, & al-
(tum
Carnifice excruciat pectus amaricie.
Unde sed hoc vulnus? quis nam inflixit? precor
(audi:
Et Gnatae Is Pater est, & Pater ipse tuus.
Quidni igitur Patris fiat divina voluntas,
Arbitriò cujus vitaq; morsq; venit?
Quin immò fiat; superis cedamus oportet.
Fortiter est aliquid tristia posse pati.
Nec corrumpe igitur cœlestia Numina fletu,
Defleat extinctos mortua turba suos.

K

Vivit

Vivit adhuc tua Gnata, à morte tropæa relinqvens,
Vivit, & æternùm vivere non renuit.

*M. Christianus Crabatus,
Neo-Angrim: Præpositus.*

Vulnera quis curat? Medicus. Sed vulnera pas-
(sum

Quis Medicum? Medicus num fati ipse
(sibi est?

Haut reor IN PROPRIA patiens discrimina CAUSA
ADVOCAT alterius sollicitatq; vicem.

Sic sibi nec Medicas, vel sic Podalyrius, herbas
Admover, at potius quærit Alius opem.

RES A DEO est fallax humana potentia! Fallax
Sic adeò ipsius vel Medicina sui est!

Magnus es in Medicâ Doctor, JAN-MAGNE-GE-
(ORGI,

Nec tamen acceptum tollere vulnus habes.

Ergò age divinum certumq; MACHAONA quæras,
Qui solus mediis sit Medicina malis.

Hunc Tibi sacra unum producit pagina Christum,
Pagina quæ veri conscia sola DEI est.

Chri-

LUCTUS COMMUNIS

cum VIRO

Clarissimo & Excellentissimo, Dn.

JOHANNES GEORGIO MAGNO,
Augustano, Philosophiæ & Medici-
næ Doctore,

Quorundam Gymnasiae Berolinensis

COLLEGARUM

Testimonia metrica.



N scitè lacrymis majora domestica damna

Herodoti Ægyptus barbara commemorat?

Non pietas, nec amor probat hæc deliria Re-

Romulidumq; negas Marce diserte decus. (gis,

Nam pietate gravis licet haut sit præfica, casus

Attamen humanos luget & ille suos.

Luge ergo merito gnatae melioribus annis

Ætatisq; biemi nam fuit illa decus.

Ecce biemi ætatis fulcrum columenq; fuisset

In medio terra morte necata jacens!

Elugendo tamen meditare vir inclute, gnatae

Nomina Baptismi fonte dedisse suo

Christo: quem Dominum semper reverenter babeat,

In morte ac vitâ subdita cujus erat.

Hoc facit ut moneam properes deponere luctum,

Indultum satis est tristitiæ, & lacrymis.

Quodq; decet Christi civem, Medicumq; Sophumq;

Philologum & tersum, hoc faciens facies.

Sic te constantem facundia Marchica cantat,

Et tanto vivit filia chara patre.

M. Georgius Gutkius, Gymnasiae

Berolinensis Rector.

R*

Vulgus ait, si quis primis occumbit in annis:
 Sors homini misera est, Hic cadit ante diem.
 Qvæso quid ante diem cadere est? Quid colligis annos?
 Peccatum effætos nos facit ante Deum.

Depositus puer est hodie Genitricis ab alvo,
 Præda tamen morti cras erit apta satis.
 Ad tumulum Infantes peccatum damnat in alvo,
 Quod superas, venit hoc ex bonitate Dei.

URSULA foemineum decus, & flos unice sexus
 Occidis in teneris, non tamen ante dies.
 Te tangit culpæ primi censura parentis,
 Hinc eadem culpæ te quoq; pœna manet.

Prima dies vitæ mulieris est ultima vitæ,
 Qui Christum didicit non cadit ante diem.

Tu licet Henochildem ætate & Nestora vincas,
 Si Christum nescis, næ cadis ante diem.
 Nasceris, & moreris. Res salva: in sanguine Christi
 Annosum cœlo te facit esse Fides.

URSULA delictum Patris, pupilla Mariti,
 Præsidium generis quæ muliebris eras.
 Diiq; Deaq; omnes plangunt tua funera, namq;
 Pallas, Juno, Venus, te moriente, cadit.

Attamen ante diem te non cecidisse fatebor,
 In te maturum, quod fuit, omne fuit.
 Forma, genus, pietas, & rarum mentis acumen
 In teneris robur nacta fuere suum.

Non solet in canis spectari serior ætas,
 Mens annos prodit, mens facit esse senem.

Ergo immaturè Te nemo queratur ademptam,
 Provida sic finem fata dedere Tibi.
 Virtuti potuit non ætas addere majus.
 Felix cui Lachesis sic sua fila secat.

Illa velim tecum perpendas **MAGNE GEORGI**,
 Et luctus facilis, qui modò durus, erit.

Ut

Ut verò possis superare ferendo dolorem
Det robur, moestis qui medicina, DEUS.

Constantinus Bercovius, M.

STROPHE I.

PLus hiemem lædere post Zephyros,
post gaudia luctum, post risum lacrimas.
Jã eheu, ò Æsculapî intimum **DELICIUM**
pullatâ scenâ sat eloquitur
catastasis doloris Tui luctuosissima?

ANTISTROPHE I.

Quumq; ita fiet: emoritur toties
homo, quoties amittit morte suos,
ego num vivum **TE**, num mortuum dixero, cer-
tus non sum, qui parte cordis ami-
ciorum funeratâ doles, membra òbe fonticum!

EPODUS I.

Parentes tam penetrantes experiri
domus sue dividias, tamq; insperatò
viduarier dulcissimâ **FILIA**, Flore
& coronâ **MAGNORUM** familia,
quæ dum manebat vita; **EUSEBIES**,
Horarumq; erat corculum unicum:
PARENTUM LUX, Salus, nunc desiderium:
Sexûs & feminini rarum exemplar:
amissitatum emblemata virtutum & elegantiarum.

STROPHE II.

Heu grave vulnus, Libitina quod i-
cit, unde sapit cor **MAGNI**, corpusculam
macore & mœrore acerbo senet debiliter!
Symptoma eheu grande, cui Podaly-
rii, Machaonisq; ars sagax non medelam annuit!

ANTI-

ANTISTROPHE II.

*Egone verò obuius ibo dolo-
ri? aut vulneri adaptabo lenimen? at un-
de sumam? quid, si ex myropolio spiritua-
li concinnarem malagma! an ita
mitesceret parùm exulcerati rigor pectoris?*

EPODUS II.

*Terra es, terram in revertêris: Lex habet Dei,
tenore quæ fixa suo stat, cui subscripsit
GNATA; quodq; signatum in tabella Jehovæ, ample-
xa est lubens: Hoc pignus Jova dederat,
salvâ potestate at pro lubitû
repscendi, ad illum citò pede
festinavit. Soporabit prolubium hoc
DEI luctum reponens mentem in sedem:
re sic clues MAGNUS, modo MAGNA mens necet dolorem.*

Johannes Bercovius.

HAMBURGUM reliquas tantum supereminet urbes,
Quanto est inferior Principis arce, casa:
Mercibus imprimis est nobile, terra remota,
Quicquid habet, nullo tempore deficit ibi,
MORS etiam gustanda datur, quæ sede marina,
Degit, contractus ut remoretur opum;
Ex obitu Natæ quod nôsti MAGNE, Sophorum
Lumen, ut & Medicæ gloria prima tribûs,
Sed res salva satis! Mortis violentia frustra est,
Contractûs remoram quod putat, ansa eluit,
Luctus ut ut Generum cruciet, tamen URSULA pergit
Conjugis in luctu quærere lucra sibi.
Permutat cœnum cum Cœlo; Militis ausum
Cœlitum Plausu; perpete Luce crucem!
» Cede proinde dolor: sic sic juvat ire sub umbras,
» Cùm, quod habere lucrum Mors cupit, alter habet!

Raptim addebat

Joh. Georgius Viola, Ulmâs,
P. L. Cxf.

Christus enim solus morborum cura salusq̄ est,
Hunc qui quærit, habet, quiq̄; habet, omnia
(habet.


Archiater, Bone Christe, animo ægrotantis anhelato
Doct̄oris Flatu Christe medere Tuo.

Vulnera tu solus fecisti, vulnera solus
Facta potes medicâ tollere cuncta manu.

Utq̄; per hoc nostram ferves feliciter urbem,
Exanimum foveas pectus, opemq̄; feras.

Sic Tibi pro tantis dicetur gratia rebus
Donec erunt aures, linguaq̄; donec erit.

*Johannes Rhavius, Ecclesie Berol.
ad D. Nicol. Diaconus.*



GAUDIA quãta paterno in pectore filia quõdam,
URSULA, in hãc lucem cum nascebare, parasti,
Gaudia quanta tuo mihi toto tempore vitæ,
Tanta mihi contra suspiria conciliasti,
Desita pronuper cum vivere; credo nec unquam
Expertum lacrymas tot quenquam; funera ad orcũ
Me tua Nata trahunt; exest præcordia amaror;
Atq̄; oculi efflentur. Vah dura õnumina Mortæ!
Vixest ipsa sui pallens mater memor, imber
Undiq̄; perfundit malas, quòd tam citò Natã
Orba fuit, generis nostri spes quæq̄; columna.

Sed

Sed natæ lacrymis cur funera flemus obortis?
Fundimus uranimos aut quid de corde dolores?
Cum tibi sic placitum, sic visum Sancte JEHOVA,
Arbitriò cujus, cujus nutu omnia fiunt,
Cujus consilio potis est obsistere nemo;
Nec fas est nobis rimari arcana Supremi.
Absit & invideat nostrum quis cœlica Natæ
Gaudia: Nam scimus Numen citò, quos amat, illos
Illicò quod soleat misero hoc ex valle dolorum,
Hæredes vitæ quò sint, ubi gaudia mille,
Eripere, & cœli clemens in parte locare,
Cœlitis in nutu Patris ultròne ergò quiescam?
Relligio mihi sit, procul absit vellere velle
Me arbitrium Domini, potius Tibi Filia grator,
URSULA, parta quies Tibi, non fera bella timebis,
In quibus, heu, miseri misero hoc jam vivimus ævo,
Atq; alia ex aliis hinc inde in fata vocamur,
Solamen miseris, quod nos quoq; tendimus istuc,
Designata DEO post momina temporis, alter
Vividus alterius faciemq; videbit amicam.
Interea dilecta vale, vale Filia, donec
Aspicias inibi relictos læta parentes.

*M. Petrus Vebr, Diaconus Ber-
lin: ad D. Mariam.*

LUCTUS

Ad
Clarissimum & Excellentissimum Virum,
Dn. Doctorem
JOHANNEM-GEORGIUM MAGNUM,
transmissa
SCHOLÆ SENATORIÆ COLONIENSIS COL-
LEGARUM

ΣΥΜΠΛΘΕΙΑ.

Magnus MAGNE Tibi dolor est ex morte inopinâ
GNATÆ: ast hæc cœli gaudia magna videt.
Hæc Tibi magna fuit Generis spes: ast ubi magnum
Nunc vitæ fulcrum delictumq; tuæ?

URSULA MAGNA suis probitate Parentibus auxit
Gaudia; Virtutum magna corona fuit.

Magnum hinc mœrorem desideriumq; reliquit:
Sed voluit magnum quærere morte lucrum.

Est magnum lucrum, vinculis evadere Martis,
Et cum cœlitibus perpete pace frui.

URSULA non videt, haut metuit mala magna, relictos
Queis vexant, cruciant Martia bella pios.

Curigitur magnus dolor est Tibi MAGNE? dolorem
Vince animo magno: sic Tibi MAGNUS eris.

Nominis esto memor! MAGNUM Te prædicat omnis:
Sis verè-MAGNUS nomine, corde, fide!

In bonitate DEI Tibi spes est magna: Jehova
Magna Tibi fecit, magna Tibi faciet.

*M. Adamus Romanus,
Rector Colonienf.*

L *

STRO-

æ
|
ω

STROPHE.

MAGNE, redintegrandæ sanitatis
artifex peritissime, patrone ô magne!
Qvis animus, quæ mens erat Tibi,
quum FILIÆ (heu Tuæ!) inopinum ad plures
fama nuncia loqueretur abitum?
Qualiter candidæ pöpuli, quando
circum fremit arbusta imbricitor Africus,
flabris quatefactæ tremunt comæ,
non aliter in præcordiis, auditô
fecisse GNATAM cum vitâ divortium,
cor palpitâsse ego statuerim,
nec injuriâ. occidit, occidit
Patris gaudium, matris amor intimus,
urgentis amborum senectæ scipio,
mariti delicia, prolis relicta
præsidium desideratissimum!

ANTISTROPHE.

ESt ita. Sed genus nataliumq;
splendor oppidò clarus, & aviti siquam
décoris insignes imagines
possent jugò asserere fati tütam,
tam pio capiti adamantina minus
Parca crudeliter tela fixisset:
aut sicui blandimenta Charitum mera,
sublimis honosq; oris, & lepor
melleus, omitto comitatem, nodos
& sæva diræ mortis vincula abrumperent,

exfors

exfors ligaminum propediem,
HERI, fata comparis optumæ
dolentis, domum reppeteret URSULA.
At nîl genus, nîl blanda vultûs lumina,
moratur trux Atropos. Hinc lacrumæ illæ,
hinc Tibi tot surgunt dolorum faces.

EPODOS.

VERùm, si VIREs, ut es, dolores supra
exsurge tuos, patientiæq; clypeo
fortunæ novercantis ictûs excipe,
caveq; animus hîc â nomine abludat.
Eâ, fateor, te DEUS sauciavit parte,
qvâ dolor infligi qvitus est acerrimus.
Sed qvò major dolor, eò major,
qvò superatur, animus. Nôsti te te
FILIAM progenerâsse mortalem,
cur succenseas Naturæ solvenda sibimet
exigenti nomina? Nôsti miseriarum
mutasse coloniam, & cœlituum
perennè mansurum adiiisse politevma,
cur invidias cœlo, qvòd invidere nefas?
Illic parentes valere non iustos, illic
dolentem maritum, illic pusillam
præmissa præstolatur progeniem.
Ventis proinde & otiosis committe
nimios qvestûs spinis. Nîl siticen, nîl præfica
proficiunt: immò verò pios inquietant manes.

Johannes Robachius,
Con-Rector.

ΠΕΝΤΑΣ

ΠΕΝΤΑΣ
Επισημνωμεροσίων,
exhibentium
DEFUNCTÆ
TEMPUS

I. NATIVITATIS:

ECCE ortVs ter-seX reVoLVto Vbl feCerat anno
LVX Phœbi, MAGNI nasCItVr VRS LA patris.

II. NUPTIARUM:

Bis-seXtâ & qVintâ VoLVentIs LVCE noVeMbrIs
VRS LA sVblt VaCVI VlnCVLa Lata torI.

III. INVASIONIS MORBI:

Bis-senas AVgVste faCes, proh angor, habes, Vt
MAGNA Diarrhoëâ tangItVr atqVe febre.

IV. MORTIS:

Vt LVX AVgVstI VICena & qVlnCta refVLget,
oCCVbVIt LetI InnoXIa MAGNA IVgo.

V. SEPULTURÆ:

SeXtILIs VICena & LVX bls qVarta reLVNIt,
qVâ Clippo InfertVr MAGNA neCIs VaCVo.

Ejusdem.

Fulmi-

Fulminis ut rapidi vis dejicit arbore ramum
 Floridulis multum luxuriante comis;
 Quod decus abripitur? quæ spes? coalescere nunquam
 Hac fissura potest, quæ sit biulca situ:
 Sic ubi conjugii violat Mors pallida tædas,
 Ut pars unito corde refecta cadat:
 Heu dolor! Heu squalens diffisi portio cordis!
 Heu qui Philyridæ respuis ardor opem!
 Quam vim laxatis thalami compagibus uni
 Infertis eordi! vulnera quanta datis?
 Nè Deus occultâ robur virtute Marito
 Adderet, is vitam solveret ante diem.
 Id testare tuo, vidue ô mœstissime, luctu,
 Cordis ubi partem Mors secat atra tuo,
 Te scimus cordis largos renovare dolores,
 Tam cordata cui, tam vigil uxor obit.
 Quicquid id est, factum supremi lege Monarchæ,
 Cujus in unius vitæq; morsq; manu.
 Vince animos igitur, quæstus effundere parce,
 Et tua supremo subjice corda patri.
 Hic cruce præ reliquis sua pignora cara fatigat,
 Sed tamen hæc tandem, quos premit, ipse levat.
 Hic tibi, quæ pateris, mala compensabit, & acris,
 Præmia, post cineres, magna doloris, erunt.

Michaël Fahrenholtz, Scho-
 læ Colon. Sub-Rector.

Heu quis MILTKAVI prosternit pectora luctus!
 dum conjux subitò funera mersa cubat.

Eheu

Eheu quam dure patitur mala tristia sortis!
 affectus quantà clade subinde gemit!
 Sapius ille imò suspiria pectore duxit,
 iret in instabiles morbus ut iste Notos:
 Morbus at endo dies vires quaesivit eundo,
 pro vitâq; citam mors tulit atra necem.
 Sæpius ille quidem lacrymans, sic ora resolvit:
 ab precor Uxoripar cito Parca mea!
 Sed nil profecit: tanta est injuria Fati!
 Sic precibus Parcam flectere nemo potest!
 O Parcas nunquam parcas! an parcitis ulli?
 hic decuit parcas vos tenuisse manus.
 Quot vetulas finitis propè mortua crura trabentes,
 Et vitæ saturas amplius esse super?
 Quot senio fractos lucemq; orbemq; perosos
 Mors, quasi non videat, transit iniqua viros?
 Quot reprobos homines, qui pondus inutile terra,
 longos permittunt vivere fata dies?
 Hanc verò vegetam pulchramq; piamq; Maritam
 (quod spatium?) nondum bis duo lustra sinunt.
 Hei mihi, quos matri conjux Et fratribus una
 germanis planctus Ursula adempta, creas!
 Quos gemitus Patri (famâ super athere noto)
 jam paris! heu quantis luctibus afficitur!
 Nilne nova valere herba succiq; potentes?
 Votaq; devoto corde profecta Patris?
 Scilicet hinc patet, invitò quod Numine votum
 nil possit; medicâ nec data pòcta manû.
 Plura quid ergo querar? superis parere necesse est:
 Hi quæcunq; volunt, omnia jure volunt.

Anne,

Anne, DE I justi quod poscit justa voluntas,
ullius infectum reddere cura potest?
Forfitan impendent damnosa pericula nobis,
quæ tamen avertat maximus ille Deus.
Hæc illa effugit cuncti discriminis exsors:
Illius in tumultu molliter ossa cubant.
Huic sit jam requies huic sit spes inscia falli:
extrema donec venerit hora diæi
Et quia mutare hoc vidue o mœstissime nescis,
defunctam lacrymis sollicitare cave.

Laurentius Simonis, Pho-
nascens Petrinus.

Qui Domino vivunt, Domino & moriuntur,
(eorum
Mors nequit esse mala, his nulla nocere
(queunt.
Mors sit amara licet, vitæ sit dulcior actus:
Quid tamen in vitâ hæc est? dolor atq; labor.
Mortem quid sequitur? dulcissima gaudia vitæ
Æternæ, dulcis gloria, vera quies.
Ergo sibi Dominus charos hac luce migrare
Mandat, quo videant gaudia vera poli.
Nam rapit è mundo hos & in altum ducit olym-
(pum,
Scilicet ut poscat, quæ bona dona dedit.
Quid-

Quippe Deus superus majori exardet amore
In gnatos hominum, quam pater ullus amat.
Ergo suos ut in hos affectus monstret amoris,
Cominus è mundo hos ad sua tecta rapit.
Hos rapit è mundo, ipsorum ne dira pericla
Aut Crucis aut Martis langvida corda pre-
(mant.


Hos rapit è mundò subitò, ne mundus iniquus
Polluat ipsorum pectora labe malâ.
Hos rapit è mundò hęc, rectò quia tramite eadem
Tendamus cœli ad tecta beata viam.
Ergo mœste parens, Domino tua Gnata volente
Cum vitâ hęc abiit, Morta nocere nequit.
Ergo si Domini tua Gnata quiete fruatur,
Molliter hęc dormit, quam mala nulla pre-
(munt.

Hanc mala nulla premunt, hanc nulla pericula vitæ
Vexant, nec culpæ crimina sæva patrat.
Ergo mœste Parens lacrymarum abstergito guttas,
Cum Patre si summo hęc vivat in arce suâ.
Ergo si Mors communis, si Morte seqvare,
Et rursus hanc videas, omnis abesto dolor.

Georgius Bernhardi, Schol.
Col. Baecal. Inf.

Qui modò fragranti radiabat flosculus aurà :
 Hoc quo natus erat , concidit ille , die .
 Quæ pulchros celeri properabat germine fructus ,
 Ut parit arbor opes , ut moribunda perit .
 Qui modò purpureo spumabat turgidus ore ,
 In medio bombyx visus oblssetholo .
 Quod modò fronde nemus , pratum quod flore favebat ,
 Amne superfuso , squalida tesquapavit .
 Quid causa ? Nequeunt pulchra esse perennia , & omne
 Hoc propius fini , quò magè culmini adest .
URSULA florebas virtutum culmine : **MAGNA**
 A Patre , à Forma , à divite Conjugio .
 In medio exspiras virtutum culmine , ut herba ,
 Ut flos , ut bombyx , ut peramœnus ager .
 Fata diurnantem renuunt concedere vitam ,
 Quæis Natura suas prodiga cesit opes .

Johannes Magirus.



Est locus infandus funesto tristia taxo
 Culmina quem claudunt , circum celsiq; minantur
 In cœlum scopuli , quorum vix terminus ulli
 Cernitur , in mediis convallibus horrida nox est ;
 Horrida nox tenebris involvens omnia diris .
 Hic nebulas tristes palus halat putrida , odore
 Omnia corrumpens fœdo ; vestigia firma
 Nulla solum patitur ; quisquis transire laborat
 Ille pede incerto cadit , ille cruentaq; sentit
 Spicula , quæis sentes , his undiq; consita vallis ,
 Pungunt ; hîc plantas penetrabile frigus adurit ,

M

Et mo-

Et modo quas alibi terra evomit ignea flammæ,
Lædunt & miseros ignis depascitur artus.
Nulla illic requies miseris est, nulla voluptas
Continuus labor atq; dolor, tormenta metusq;
Passim prædatur cum tygride hyæna feroci,
Cumq; leone urfi; & quis singula monstra notabit?
Illic cum primis grassatur luridus angvis
Igne micant oculi divisaq; lingua veneno
Spumat, & exertis panduntur dentibus iræ.
Hic miseros quoscunq; videt hac valle morantes,
Insectatur & hos morso, complexibus illos,
Hos necat afflatu, funesta hos tabe veneni
Inficit, & nulli datur effugisse tot artes
Queis nocet hic angvis, soboles numerosaq; patre
Haud quicquam melior, verè Cadmæa propago.

Eloquar an fileam! Lacrymis mihi lumina largis
Affluere incipiunt visorum dum meminisse
Incipit istorum mens, deficit & vox omnis.

Sed redeant animo vires, vox pectore rursus
Exeat, officiumq; suum mea lingua capeffat.

Valle hac (quam fas sit vallem dixisse dolorum:)
Tres vidi, Vir erat, conjunx, & filia, sorte
Non aliâ atq; alii, nî quod cum robore mentis
Præstarent aliis, tum forti pectore monstra,
Quantum posse datum fuerat, devincere prompti:
Nec tamen aut anguis sat tuti à moribus atri,
Monstrorum aut rabie reliquorum, vulnera & ipsi
Sensere, ut cuncti, densâ in caligine vallis.
Suspirare igitur sæpe atq; in vota vocare
Summum qui nâtu quatit uno solus olympum.

Hæc

Hæc vidi, obstupui! nec erant quibus hocce juvaret
Aut homini aut divo media ulli certa salutis.

Vox subito auditur! cœlo vox insonat alto!

Vos EGO quos miserâ lacrymarum valle dolores
Exercent redimam: Tua sit, Pater, optio; valle

Ipsè an tu primus cupias exire relictâ

Ad tempus gnatâ, tot damnis undiq; cinctâ:

An cupias magis ipse illâ remanere redemptâ

Ad annos alios, quibus hanc cum matre sequaris?

Magne vir Aonidum Clarissime mysta Sororum,
Gloria prima chori Clarissime MAGNE medentum,

Non experta mihi ^{soyâ} pectusq; paternum,

Exaudire mihi licuit neq; quid pater ille

Optarit; natam tamen ipsa per æthera raptam

Vidi cœlicolis misceri, altoq; receptam

Uti exoptato sine fine doloreq; regno:

Quid quæso ille parens elegerit? Ipse manere

Esse (puto) satius duxit, natamq; redemptam

Non gemitu aut lessu at gratanti voce secutus:

Nec natæ invidit: quis enim hoc vel fingere posset?

Nec sibi prælatam doluit: mora parva parentem

Haud movet; & certò rursus jungendus eidem est.

Vidi equidem matrem quæ gurgite mersa natabat,

Quæis poterat manibus vitam servare, puellum

Porrectum auxilio venienti tradere, & hunc hunc

Serves, inquit, & ipsa mihi servata videbor

Occludant quamvis morientis lumina fluctus.

Clare vir, audaci veniam concedito lingvæ

Anseris, ut cygnos interstrepas; An lugendam

Dilectam censes natam ex hac valle redemptam

Ac cœli quam Tu petis ipsemet arce receptam?
Optasne hanc rursus concludi carcere mundi,
Quæ regno cœli jam libera gaudet ovatq;.

Ah dolor! ah lacrymæ! quot nos hac valle relictos
Damna manent, terrent mala quot, palloreq; vultus
Inficiunt! misera in quæ tempora Jova venire
Nos pateris! Furit hostis enim, rabiemq; veneni
Purpureus Draco pestifero vomit ore, per orbem
Bacchatur totum, ceu concitus imbribus amnis,
Igne micant oculi, mora parvula temporis urget
Hinc furor, hinc ardor, tantas hinc fertur in iras,
Hinc terras cœlis miscere atq; æqvora tentat,
Electumq; simul subvertere ovile Tonantis.

Ergo felices animas quæis cedere turbis
Terrenis licet, in patriamq; redire beatam!
Felices animas, quæis hostibus aurea victis
Panditur extemplò domus omnipotentis olympi!
Felices animas Superi quæ limina templi
Ingressæ Jovam plaudenti voce celebrant!

Jam Te oro Affinis Clarissime mittito luctum,
Ponito tristificas curas, lœssumq; relinqvens
Ipse animum revocato tuum, dispellito nubes.
Ecce Tua in patriam rediit dulcissima nata:
Ecce mali est omnis victrix suavissima nata:
Ecce abiit sed non obiit læctissima nata.
Ipsi optamus iter cursum & meditamur eandem
In patriam, rursus ubi natæ jungere dextras,
Et pro mortali immortalem cernere eandem,
Perpetuò atq; omni semper sine fine licebit.

Daniel Ludovicus.

PHA-

PHALEUCUM,

*In quo Argumenta quaedam consolationis sub persona Hortulani
& Lili plantati proponuntur.*

Hortul. **M**ellitissima quæso plantularum,
Percarissime quæso flosculorum,
O spes unica dulcis hortulani,
Et Sol unice gratioris horti!
Quid Te concitat, ut loco moveri
Cum radice tua potentiore,
Sed vix incipiente, pruriente
Permittas, animo favente, flore?
Ah quæ planities mei futura est,
Devastatio quæ manebit horti?
Flores tristitia relinquis omnes
Adfectos reliquos! mane, maneto:

Lil. **C**onceptas, Pater, emoveto curas,
Et menti dolor adplicet quietem:
Jam jam, qui mage complacent, amœnis,
Terræ, perfruoꝝ hortulos relinqvens:
Cœlis innocuæ sedent carinæ.
Oro propterea, Pater colende,
Pompas ducere mitte me supremas.

Hortul. **Q**uid defecit, amande flosculorum;
Quid defecit, amanda plantularum?
Unquam num Tibi quid fuit negatum,
A Cultore Tuo; Tuq; amata,
Dic, Cultrice, citam fugam quod ornes,
Declinando caput nec amplius sis?

Lil: Dilectissime Cultor, hortulane,
Hortus quæ capit, omnium bonorum
Non infauste Pater, pater colende.
Non Mors falce suâ tenet resectam,
Me, sed transferor in suaviorem,
Euge transferor in politioem,
Hortum, transferor in beatiorem
Sedem, tristitiâ malâ vacantem,
Sedem lætitiâ bonâ scatentem:
Hic non est aquilo, micante bruma,
Offendens faciem; mihi malignus
Tendens insidias; Sed Eurus auram,
Dulci flamine flat benigniorem:
Absunt huc nebulae; mali vapores
Non nimbiq; nocent, abest procella;
Hic nec vindemiator est timendus:
Verum spiritualis hortulanus
Me cognoscit, habetq; cariorem
Florem; liliolumq; plantulamq;
Curat, diligit, ornat, explicatq;
In sanctam faciem suam subinde,
Cujus ceu radios meis ocellis
Cerno cottidiè benigniores,
Advertoq; mihi faventiores.
Hinc & viscera gaudiis replentur
Miris intima, dum perennitatis
Divinae quoq; fonte largitatis
Accepere licentiam bibendi.
Est mutatio nonne gloriosa?
Est mutatio quippe luculenta;

Est

Est rejectio plurium malorum,
Est acceptio plurium bonorum.

Sed Te subtrahis his meis ocellis,
O Tu Liliolum meum tenellum,
Exutumq; tuo benigniore
Hortum linquere gestis heu odore,
Et privare studes tuo sapore:
Heu queis nulla fuere dulciora!

Mellitissime cordis hortulane,
Curare incipe proprium dolorem,
Morbis incipe propriis mederi:
Posthac non procul, elegantiore
Forma, robore, ditiore flore
Ornatumq; videbis hortulano
Curatum bene Spiritualis horti.
Faustos interea valebis annos,
Mi Cultor, mea blandiorq; Cultrix;
Et Vos, qui lateri meo adstitistis,
Æternum valeatis, oro, flores;
A radice mea; blandiora
Vos Crescentia, plurimum valete,
Et vestigia, quæ pede annotavi
Felici, terite ad beatitatem.

Factum

a

M. Andrea Cosfelio, A. T. de
Klizing p. r. Instructore.

Certior

Certior Halcyone si de potiore fuisset
 Vitâ; turbâset non itâ flendo fretum;
 Sic GNATÆ Unigenæ pia Mens contermina cœli
 Vertice, Falsificæ provida Syrtis erat;
 Hinc itâ temporiûs tēpsit calcando Charybdim,
 Omnigenæ Sortis, Mortis & Omnivoræ;
 Ut thalami, & tumuli minimam discriminis umbram,
 Sentinasq; graves senserit usq; sibi;
 In Pelago degit; Cui nil nisi Cymbula vita,
 Letbais lubrici fluctibus acta Freti;
 Flumen erant Lacrymæ; Venti suspiria; Remi
 Vota; Caro Velum; Mens benè-sana Ratis;
 Spes Temo; Comites curæ; Crux Malus; Amor-Cor
 Faxq; Viri, & Sobolis; Navita CHRISTUS erat,
 Anchora Relligio (Sancta Cynosura carine)
 Turbo morborum more furentis aquæ;
 Ab Notus! Ab Auster! Boreas! Hanc impetit Euris
 Donec in Oceanum mersa sit Illa necis!
 Sed quid mersa? Poli Portum nunc attigit; Hocnè est
 Anticipasse diu, quæ modò participat?
 Ab hominum Mortale genus! Sape! Cautius esto!
 Tàm propè Mors vitæ, quàm propè margo mari!
 Fide Fide CHRISTO Proretæ; tutius ibis;
 Navigat infelix qui caret Hujus ope!

Gregorius Cernitius COL.
 PHIL. Cand.

Itane

NTane una Epistola, & morbum, & mortem,
Sororis charissimæ, Sororis unicæ nunciat?
O inexpectatum! O luctuosum nuncium!
Fœminam in ipso flore ætatis, in ipso animi
vigore, Marito, Parentibus, Liberis, Fratri-
bus, Cognatis, immaturâ morte ereptam,
extortam! Sinite, oro vos, Optimi Parentes, ut has lachri-
mas ad tumulum Sororis vobiscum effundam, ut hoc po-
stremum pietatis officium, ipsi quanquam serius, persol-
vam. Si tamen fas est, aut flere, aut omninò mortem voca-
re, quâ mortalitas magis finita, quàm vita est: vivit enim,
vivetq; in æternum. Nam cum in hac arenâ, in quâ morta-
libus decurrêdum & luctandum est, feliciter cursum & lu-
ctam absolvisset, læta ovansq; excessit, & in cœlum ab An-
gelis deducta est, à Domino promissum præmium acceptu-
ra. Qui illam pronis atq; effusis ulnis excipiens, Coronam
Justitiæ capiti ejus imposuit, & candida innocentia stolâ
eam induit. Digna jam facta est, quæ videat Creatorem su-
um de facie ad faciê: digna, quæ perpetuo, ac svavi hymno
Æterni Dei laudes prædicet, digna, quæ dulci Angelorum,
Sanctorumq; fruatur consortio: Conquiescit in ipso Æter-
nitatis sinu, ubi inanes infra sese hominum voluptates con-
temnit, atq; de hostibus, diabolo, mundo, carne, victis,
triumphum agit. O beatitatem! O gloriam! O gaudium!
Quis tantæ, ac divinæ eloquentiæ, ut illa effari queat? quis
tam capacis & immensi ingenii, ut hæc concipere possit?
Servemus itaq; in lugendo modum, ne videamur, tum in-
grati adversus Deum, qui ipsam ex hoc miseriarum Laby-
rintho exemptam, æterna vitâ ac beatitate donavit; tum in-
vidi ejus felicitatis, quod illam in hoc mundo, in quo mul-
to cum sudore, & cruore, tantis cum hostibus pugnandum
est,

N

est,

est, detentam, quam in cælum sublatam malimus. Nonne hoc, cum premimur atq; affligimur, inter suspiria, & singultus, unicum nostrum solatium est, quod nos illuc, ubi illa, venturos speremus? Nonne, si daretur, læti & incitato cursu, ex hac statione excederemus? An illam, si possemus, revocare vellemus? minimè: scimus enim quam vitā vivat. An illa, si liceret, redire vellet? nollet: novit namq; quid mundus sit. Non me fugit charissimi Parentes, semper vobis ob oculos versari, imaginem filiaē vestraē, ut pietate, castitate, probitate dotata, ut senii vestri solatium ac deliciaē fuerit. Tollite quæso oculos, & contemmini in cælo, consummatissimam filiam vestram, lætabitur, scio, cor vestrum, licet ex dolore saucium, ac contusum. Affligit vos, dubio procul sors Orphanulorum, qui matre, quam vix viderant, nondum rectè noverant, orbati sunt. Sed cogitandum est, Cælestem Patrem illis optimè consulturum. Non enim Matri liberos dedisset, si absq; illā miseris esse possēt: Non liberis matrē abstulisset, si hujus mors illis noceret. An putatis Cælestem nostram Candidatam Orphanulorum nomine angi? nequaquam. Confidit enim Misericordem Deum, cujus clementiam, benignitatem, & amorem ineffabilem, jam abundè experitur, ipsis non defuturum. Nec desunt in hoc mundo, qui matris vices supplere possint: reliquit enim illis Patrem, ut optimum maritum, ita fidelissimum parentem, reliquit Avum, Aviam, Cognatos, Cognatas, Affines, qui ut matris, ita liberorum amantissimi, ipsos fovebunt, educabunt, juvabunt. Hos omnes & singulos, ut DEUS OPTIMUS MAXIMUS longissimo tempore conservare salvos & incolumes velit, ex intimo pectoris mei, opto, voveo. Dabantur. Genevæ 6. Octobris, Anni 1628.

EPI-

EPICÆDIUM.

UNquam si fuerit fas flebile fundere metron,
URSULA planctisonis est mihi flenda modis:
URSULA, cara mihi Soror (heu!) dum vita mane-
Delicium Matris, delictumq; Patris. (bat;
Dimidium cordis, sed & altera vita Mariti;
Cui Tua mors lacrymas, cordoliumq; parit.
Qvosq; Tibi natos dederat Lucina, relictos
Hos nunc Orphanulos invida Parca facit.
Ingemo: ceu mecum Mater, Pater, atq; Maritus
Cordivoros gemitus, Orphanuliq; trahunt.
Sed quis scrutari velit inscrutabile Fatum,
Cur soror, & nata, & rapta marita fiet?
Ut sit nata, soror, sit mater facta marita;
Quicquid id est, factum est, sic statuente DEO.
Ergò, qvos obitus quoq; tangit, ponite lesus:
Quod Domino placuit, vos quoq; velle decet.

*Fraterni amoris, & mœroris ergò
ponebat*

Joannes Fridericus Magnus.

S*At curis lacrimisq; datum; sopite Parentes
Afflicti luctum; FILIA vestra valet!
Est exempta malis multis, magnisq; periclis,
Quæ nobis vivis experiunda manent.*

FILIA

*FILIA jam Cœlum petijt, terrena reliquit,
Tendimus ad qua nos, Regna beata tenens.
Sortem igitur Nata ne deplorare Parentes;
In melius qua sic versa repente fuit!*

Joachimus Fridericus Möller.



Desine dilectæ Natæ, Vir magne, dolere
Fata! pios nunquam, Fata timere decet.
Si verum (ut verum est) vivit post funera vir-
Virtutis soboles nulla perire potest. (tus:
Unica virtutis tua filia noscitur hæres,
His quibus â teneris nota & amata fuit.
Parce ergò lachrimis, teq; erige, nam tibi semper
Dum vivet virtus, Nata superstes erit.

David Peter Möller.



Irarum tumidos, quando sub pectore fluctus
Volvere cessabis, Mors, inimica MEIS?
Heu! tres AFFINES rapuisti: in flore Juventæ
Jam CONSOBRINAM sub tua regna vocas.
Ast hos non rapuit sæva violentia mortis:
Sed DEUS è medio sustulit ante malum.
Felices igitur, quibus hæc sors contigit æqua:
Emigrare solo, tectaq; adire Poli.

Theodorus Möller.

ΕΤΘΑΝΑΣΙΑ.

Hora fatalis semper Christiane memento,
 Corpore dum sano mens tibi sana manet.
 Sive etenim ingressum mediteris sive regressum,
 Mors sequitur tacito per loca cuncta pede.
 Exiguum tempus vitam dum degis in orbe,
 Mæror & anxietas pectora perpes habet.
 Clepsydra, quam manibus mors volvit, sistere nescit,
 Ocius ad fundi tendit arena locum.
 Mors abitum properat, juvat excusatio nulla,
 Terapit haut curans Tros Tyriusq; suas.
 Immunem reddit nullum sua læta Juventus,
 Immunem nullum sera senectæ facit.
 Hic ars nulla juvat, juvat hic sapientia nulla,
 Gratia nil hominum, morte furente, valet.
 A parvo magnus non distat, Cresus & Iro
 Non melior, cunctis dicta terenda via est.
 Nam mortalis ut es terrenopulvere cretus,
 Sic quando moreris, pulvis & umbra manes.
 Nudus abis, quoniam venisti nudus, & omne
 Corporis interula est parvaq; tumba lucrum.
 Divitias nullas cœli portabis ad astra,
 Corrasasq; tuas alter habebit opes.
 Hic etenim nil mancipio datur, omnibus usui,
 Et tu si rectè dispicis, hospes eris.
 Quando tibi Summus gazas largitur opimas,
 Pars tua nobilior pignoris instar adest,
 Quod commissa velis impendere dona decenter,
 Spondes, & testis Fas cluit atq; Fides.

N *

Grande

Grande nefas patras concredit a dona locando
Perversè, quivis crimen abusus habet.
Ergo seducant ne te terrestria cautus
Prospice, ne perdas cœlica regna simul.
Sæpe hominem excœcat terrenum, ut deserat ultrò
Notitiamq; sui, notitiamq; Dei.
Quod tamen haud aliter quàm nix splendore liquatur
Phæbeo, in matrem nata redacta suam.
Inclusum cordi Christum dimittere noli,
Hoc presente Satan, Mors fugit atq; nefas.
Hic est, qui eripiet mediis de faucibus Orci,
Cœlituumq; tibi gaudia mille dabit.
Hic est, contracta qui solvit debita culpa,
Fac sit ut illius gratia larga tibi.
Ille mihi electus, Christum qui in pectore gestat,
Est extra Christum, quod scio, nulla salus.
Iccircò sanctam duc vitam, dilige Christum,
Ora, ut condonet crimina cuncta tibi.
Et credas, Christum Mortis qui victor est orci,
Morte suâ è cunctis te rapuisse malis.
Sinceramq; fidem factis est amore probato,
Adversa fratrem ledere voce cave.
De verbo est factis ratio reddenda tribunal
Ante Dei, veniet postuma quando dies.
Et quali ratione subis hic ultima fata,
In cœlo tandem talia puncta feres.
Ergo pura fides tibi mens sit est integra, cinget
Sic te, quâ perges, Numinis usq; favor.
Alme Deus placidam concede, quod opto, quietem,
Nobis, si sevâ morte necamur, ades!

Hoc

Hoc voluit secum, usa fuit dum corpore sano
Mente sua, **MAGNI** Filia **MAGNA** viri.
Insidias mortis tacitas non flectere formam,
Non annos, magnas nec bene scivit, opes.
Sape etiam delere homines delicta patrans,
Exitiumq; unâ morte venire duplex.
Hinc vigil adventum mortis per saepe morata est,
Gnara quòd expelet vita futura pios.
Nacta fuit, quo nisa fuit, super astra recepta est,
Parte sui nuper nobiliore animâ.
Cœlicola huicce nova meritò nunc gratulor, **URSLA**
Exiit omne malum, possidet omne bonum.
Compatior sed **MAGNE** tibi, qui corde paterno
Vulnera perpeffus non sine jure doles.
Atq; precor juxtâ sensa hec in pectore: **Nata**
Vivit ad huc quoniam mors pia vita nova est.

Ser. sincero affectu

Petrus Vehr junior.

OMnia cum celeri mutantur tempore, quicquid
Hora prior struxit, venturum destruit avum.
Nil operando modum didicit servare priorem,
Quem vel in auspicio mundi, aut puerilibus annis
Observare solet, quodvis mutatur in horas!
Ipse homo, qui in reliquis animantia cætera vincit,
Vincere vel debet, metas transcendit a vitas.
Quod modò pergratum fuerat, si venerit hora,
Altera, in exosis rebus pede calcat & odit.
Usq; adeò sua jura prior deperdidit ordo!
Sola suas leges retinet Mors, servat & illum
Processum, quem principio possedit ab omni.
Non à principio pietati parcere sœvit.

Mun-

Mundi, hodieq; pius tumulo reprobisq; teguntur.
 Haftenus ausa fuit formosum occidere corpus,
 Turpibus atq; hodiè formosa cadavera miscet.
 Sub sua ab auspicio revocavit jura potentes,
 Infirmos, facit illud & hoc in tempore nostro.
 Svevit ab auspicio sexum confundere utrumq;
 Mundum etiam linqvunt hodiè mas atq; marita.
 Sæpius & solita est matri præmittere natam,
 Nata hodieq; suam matrem tumulata moratur.
 Mortis hic inversus tibi M A G N E innotuit ordo,
 Postuma dum tua Nata fuit sua fata coacta
 Claudere, nil pietas potuit; nil forma nec ætas!
 Perge viam, quam dente ligo tibi monstrat, ad illam
 Mors dixit, Patrumq; umbris sociare priorum.
 Temporis intereâ quid tu Pater? asma doloris
 Ingeminas forsan, resonent ut planctibus ædes.
 Sed lacrymas siccato tuas, & respice damna
 Pupillâ mentis penitus, promittere possum,
 Quòd sis dicturus, tristes cur volvere casus
 Me puto præ reliquis, patior quod passa vetustas
 Tota fuit, passura quod est ventura nepotum
 Progenies, mutare meum non esse fatendum est!
 Quod Deus & natura volunt veneretur homullus!
 Spiritui intereâ defunctæ gratulor imo
 Pectoris è thalamo, quia solvit pristina mortis
 Debita, Coelituumq; choros sic cogitat inter:
 Est Sanctus Sanctus Sanctus J E H O V A, paterno
 Qui me respexit vultu, sursumq; locavit,
 Quâ requies æterna datur, non mista labore,
 Gaudia quâ recolo, nullum turbanda per ævum.
 Munde vale! Pater ipse vale! vale Mater, Amores
 Et quondam nostri Conjux cum Prole relictâ.

Συμπάθεις addebat.

Joachimus Vehr.

ULB Halle
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



43.



...TU, VENITE AD IUDICIUM.
 FUNEBRES,

des.
 ...ARISSIMI DOCTISSIMIQ;
 ... PHILOSOPHIAE ET MEDICI=
 ... utriusq; Reipubl. experientissimi
 n

AM.
 ... uide Superiorem,
 dilectam,
 ... RITERAC INTEGERRIMI
 ... RCATORIS HAMBURGEN=
 ... nary
 ... leratissimam,
 ... l beato obitu,
 ... nptam,
 ... tur lacrymis.

LIATRICIBUS
 ... tabijab i'vna
 ... runt,
 ... ines, et amici
 ... is Rungianis.
 1628.

